

600096098





DE

TACITI

IN

COMPONENDIS ENUNTIATIS RATIONE.

PARS PRIOR.



SCRIPSIT

PHILIPPUS SPITTA.

GOTTINGAE MDCCCLXVI.
TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.
(GUIL. FR. KAESTNER.)

HERMANNO SAUPPIO

PRAECEPTORI CARISSIMO.

INDEX

PROOEMIUM.

Seriores Romanorum scriptores elegantiam dicendi in eo maxime posuisse, quod rejectis periodis artificiose compositis enuntiata, quorum alterum alteri subjiciendum erat, seorsim ponerent et sua quidque vi acuerent, inter omnes homines doctos constat. Mirum tamen, quod hucusque nemo de hac proprietate diligentius quaesivit. Quare operae pretium esse putabam, si Tacitum omnium suae aetatis scriptorum principem quam accuratissime perscrutarer, ut quas leges hac in re secutus esset, continua oratione describere possem.

Sed tantum abest, ut Tacitum totius hujus aetatis auctorem faciam, ut suam quemque in arte scribendi rationem sequi existimem. Neque prius ad plenam atque absolutam linguae Latinae, qualis tunc fuit, cognitionem pervenietur, quam uniuscujusque scriptoris elocutionem usque ad minutas res perspectam habebimus [1]). Verum tamen singulare illud apud historicum magis in aperto esse oportet, nam qui res gestas ut temporum decursu evenerunt, continuo ordine enarrat, (et haec ratio historiam conscribendi apud Romanos una valuit), eum simplici et incompto uti stilo consentaneum est. Duo igitur sunt apud Tacitum, quae quum ad eundem finem spectare videantur, differunt tamen quam maxime. Nam alterum simplicem reddit orationem, alterum dissólvit; alterum ex rerum natura nascitur, alterum consilii atque artis est.

---

1) Haec studia mirum quamdiu neglecta novissimis temporibus magis efflorisse probant libelli a Weinkauffio, Grasbergero, Holsteinio, Lehmanno aliis conscripti.

Omnino autem scriptor tam praeclarus dignissimus sane videtur esse, cujus in cognoscenda et dijudicanda elocutione paullo subtiliore diligentia versemur. Multa enim in hominum ore circumferuntur, quae quamvis in universum recta sint, tamen tam late patent, ut suum cuique sensum iis subdere liceat. Veluti si celebrata illa brevitas Tacitina cernitur in solis omissis notionibus et vocabulis minus ad constructionem necessariis, atque in obscuritate quadam facillima ad efficiendum, id num in scriptore laudandum sit, valde dubium est. Neque enim aliter admirabimur brevitatem dicendi, nisi si intellexerimus ubique de perspicuitate sententiarum ne minimum quidem esse decerptum. Qua in re quid praestiterit Tacitus multis locis nobis monendum erit. —

Jam si agitur de enuntiatorum compositione, ea aut est coordinativa aut subordinativa. Sed, ut apparet ex iis quae exposui, priorem tractare imprimis attinet, quae qualis sit e particulis intelligitur.

Itaque viam judicabam certissimam, si ubique repeterem initium a singularum conjunctionum usu, quo ad omnia quae digna essent commemoratu ultro adducerer. Accedit quod apud scriptorem, cujus in emendanda librorum scriptura conjecturis sola mentis sagacitate obortis, ut nunc res se habent, non multum proficitur, hac ratione una sperandum est fore, ut locos qui adhuc medela egent utcumque certo corrigamus.

Alios ejusdem temporis scriptores parum respexi, neque solum propter spatium mihi concessum, sed quia melius videtur unumquemque seorsim tractare, ut diversitas singulorum scriptorum clarius eluceat. Nam quod commune habent, jamjam intelligetur, dummodo tota syntaxis argenteae quae vocatur latinitatis uni conspectui subjecta sit.

Poetarum ratio habita est, in quantum fieri licuit. Atque Vergilii vestigia multifarie Tacitum pressisse, nemo est qui nesciat; aeque vero gravia necdum satis ab aliis in comparationem vocata mihi videbantur prima Ovidii carmina, amores intelligo atque heroides, quippe quae rhetoricen maxime redoleant. Quamquam et hac in re modo opus erat.

Sed consulto prorsus omisi dialogum qui de oratoribus incribitur, quoniam de hoc libello separatim agere in animo est.

Quod si quis omnino habet superfluum post diligentissimas Weinkauffii curas, mihi tamen in eo erravisse videtur vir ille doctus, quod in collectionibus suis orationes Taciti scriptis historicis insertas parum spectavit. Ibi enim alium esse Tacitum magisque rhetorem quum primo obtutu compareat, tum accuratius investiganti multa obvia sunt et ab narrantis stilo diversa. Quae singillatim commemorare neque nunc neglexi, et in calce commentationis denuo omnia congeram.

Ea vero, quae ad absolvendum inceptum meum adhuc restant, quum ex magna parte jam litteris consignata sint, publici juris faciam, si haec quae nunc propono ab hominibus doctis comprobata erunt. —

CAPUT PRIMUM.

DE PARTICULIS *ET, QUE, ATQUE (AC).*

Coordinandi ratio quinque constat generibus: copulativo, adversativo, disjunctivo, conclusivo, explicativo vel causali. Quorum primum quum singularem quendam nexum parum indicaret, studio scriptorum recentiorum quam maxime occurebat. Est vero tam infinitum, ut proprie omnes coordinandi modos complectatur, quare conjunctiones copulativae aliorum quoque quattuor generum partes sustinere et possunt, et frequentissime sustinent. Nam sunt quasi vincula mollia atque flexibilia, qùae prout conducit, modo extenduntur modo ad exiguam ac tenuem vim sese colligunt. Itaque hunc in exponendis singulis sequamur ordinem.

Sed antequam ad rem ipsam accedamus, copia, qua exuberat lingua latina conjunctionum copulativarum, ut in classes eas digeramus nos adducit. Atque primum discernendae sunt affirmativae et negativae; affirmativarum vero duae se offerunt species, quarum altera arctiorem altera solutiorem nexum efficit. Ad primam autem pertinent voculae: *et, que, atque (ac).* — Neque inutile videtur separatim eas tractare, quamquam uniuscujusque usum certis ac distinctis finibus circumscribi non posse facile intelligitur. Verum certe sumere possumus antiquitus suam quamque vim ac naturam retinuisse singularem.

§. 1.

Intercedit inter *et* atque alias duas particulas ratio eadem atque inter copulativas et coordinativas in universum. Patet enim notio ejus tam late ut pro *que* vel *atque* ubique locum ha-

bere possit. Unde explicatur, cur tam multas et varias dicendi proprietates comprehendat.

1. Initium faciamus a significatione mere copulativa. Atque est historici connectere res gestas, quarum altera post alteram incidit, ita, ut id, quod altero enuntiato continetur, etiam posteriore tempore factum esse ponatur. Valet igitur *et: et deinde* (und sodann).

Hist. I, 7: *a legatis — crimen ac dolum ultro compositum; et Galbam — quoquo modo acta, quae mutari non poterant comprobasse.* I, 61: *Fabius Valens allicere vel si abnuerent, vastare Gallias et Cottianis Alpibus Italiam inrumpere jussus.* III, 80: *grates agit Vitellius et ad tuendam urbem prorumpere jubet.* II, 52: *Et rediere omnes Bononiam.* III, 84: *convolsis portis reliquus globus obtulit se victoribus; et occidere omnes contrariis volneribus versi in hostem.*

Ita factum est, ut passim conjuncta inveniamus verba: *et mox* (hist. I, 17), *et in posterum* (hist. I, 8. IV, 39), alia, quamquam in hunc modum particula *atque* saepius usurpatur. — Hist. III, 15: *antequam ducibus auctoritas, militi obsequium et junctis legionibus fiducia rediret;* legiones prius jungi non potuerunt, quam milites animos ad ducum jussa exsequenda flexissent. Ceterum hoc loco non solum temporis consecutionem observamus, sed interiorem quandam, quia verba: *antequam — obsequium* caussam insequentis sententiae exhibent. Quae duae rationes saepe commiscentur, scilicet quum haec sine illa cogitari nequeat. — Dein observari potest rhetorica quaedam ars, si ea, quae post aliquam rem inciderunt, enuntiato quam brevissimo adjunguntur, quo semper gravitas quaedam existit. Ann. II, 82: *at Romae postquam Germanici valetudo percrebruit cunctaque ut ex longinquo aucta in deterius adferebantur, dolor ira. et erumpebant questus.* Ann. I, 70: *mox impulsu aquilonis simul sidere aequinoctii, quo maxime tumescit Oceanus, rapi agique agmen et opplebantur terrae.* — Plerumque evenit, ut particula *et* prorsus valeat *tum* vel *deinde,* si adjungit aliquid, quod quodammodo oppositum est iis, quae antecedunt, vel ex aequo cum illis, connecti non potest. Ann. I, 11: *versae deinde ad Tiberium preces et ille varia disserebat* cet., nam hoc loco a patrum precibus narratio transit ad Tiberii orationem. Ann. II, 35: *et certamen*

Gallo adversus Caesarem exortum est. Ann. II, 83: *et populus quasi rursum ereptum acrius doluit.* Constat, alioquin usitatiores esse particulas *tum* vel *atque* cf. Sall. Cat. 31, 9: *obstrepere omnes hostem atque parricidam esse. Tum ille furibundus* cet.

Cum hoc usu arctissime is cohaeret, ex quo particula transitum facit ad aliam rem narrandam, quique ab eo, quem modo explanavimus, ita tantum differt, ut particula ex sententia ejus, qui scribit, posita sit. Quae quomodo accepta velim apparebit ex Ann. I, 64: *miscetur operantium bellantiumque clamor, et cuncta pariter Romanis adversa, locus uligine profunda* cet. Namque ea quae altero enuntiato exprimuntur, minime post ea incidunt, quae prius enuntiatum continet, verum haec scriptor de suo addit; particula autem transitui inservit, ut si accuratissime vestigia cogitandi persequimur, in mente scriptoris haec fuerint: postquam illa commemoravi, jam de his loquar. Hist. II, 35: *et erat insula amne medio.* I, 16: *et finita Juliorum Claudiorumque domo optimum quemque adoptio inveniet.* Frequentissime in orationibus indirectis talia leguntur. Ann. II, 33: *aliam apud Fabricios, aliam apud Scipiones pecuniam; et cuncta ad rem publicam referri.* Ann. III, 34: *et pauca feminarum necessitatibus concedi.* III, 40: *seditiosa disserebant de continuatione tributorum gravitate foenoris, saevitia ac superbia praesidentium; et discordare militem audito Germanici exitio; egregium resumendae libertati tempus* cet. Ann. XV, 1: *id in summa fortuna aequius quod validius, et sua retinere privatae domus, de alienis certare regiam laudem esse.* Proprie igitur post voculam *et* verbum quale *dixit* vel *dixerunt* cogitando addendum est. — Quodsi quis dubitat, quin haec recte disputata sint, argumento est usus particulae *enim*, de quo videas quae leguntur Ann. XV, 1: *Tiridates quoque regni profugus per silentium aut modice querendo gravior erat; non enim ignavia magna imperia contineri;* nam vocula *enim*, quamquam orationi obliquae inserta est, tamen soli sententiae quae praecedit probandae inservit; id ipsum enim, quod exprobrationes Tiridatis afferuntur, demonstrat eum revera graviorem Vologesi fuisse. Vel Ann. XIII, 43: *tum jussa Messalinae praetendi et labare defensio; cur enim neminem alium delectum, qui saevienti impudicae vocem praeberet?*

Saepe in narrationibus per *et* apponitur actio, quae con-

festim insequitur post perfectam eam, quae antea indicata est, ita ut ipsa enuntiatorum compositione id exprimi videatur. Quae ratio orationi commotae ac brevi maxime consentanea est, ideoque apud Tacitum frequenter invenitur, Ann. III, 46: *ingens ad ea clamor; et circumfudit eques*, IV, 70: *nec mora quin decerneretur; et trahebatur damnatus.* Hist. II, 68: *interim Verginii servus forte obvius ut percussor Vitellii insimulatur. Et ruebat ad convivium miles mortem Verginii exposcens*, quibus locis quasi auribus concipuitur vehementissima scriptoris commotio. Propterea conjunguntur vocabula *et repente*: Hist. II, 16: *at aversi repente animi*, atque: *et statim*: Agr. 9: — *et statim Britanniae praepositus est*, quamquam saepius etiam in hac junctura *atque* invenias. Quin et singula verba summa vi ac brevitate sic componuntur, cujus rei exempla habes Agr. 33: *inventa est Brittannia et subacta* atque Hist. I, 2: *perdomita Brittannia et statim missa.* —

Cognata huic dicendi proprietati, paullo insolentior tamen, ea exstat, quod particula actionem quandam adjungit quae facta est spatio temporis per prius enuntiatum designato[1]). Hist. I, 37: *septem a Neronis fine menses sunt, et jam plus rapuit Icelus quam quod Polycliti — paraverunt*[2]). Hist. II, 95: *non dum quarta a victoria mensis* et *libertus Vitellii Ascaticus Polyclitos Patrobios et vetera odiorum nomina aequabat.* Ann. IV, 23: *jamque tres laureatae in urbe statuae, et adhuc raptabat Africam Tacfarinas*[3]). Contra Ann. VI, 56: *et multo gratantum concursu ad capienda imperii primordia C. Caesar egrediebatur, cum repente adfertur redire Tiberio vocem ac visus* cet, in contrariam partem versa est res, ita ut *et* instituat enuntiatum quod temporis spatium indicat, deinde *quum* subjungat id quod hoc tempore incidit. Similiter agr. 38: *datae ad id vires, et praecesserat terror*, quo loco plusquamperfectum

---

1) Alias particula *quum* in usu est. Sall. Jug. 60; *jam scalis egressi milites prope summa ceperant, quum oppidani concurrunt*, cf. Madv. gr. lat. §. 358 adn. 1.

2) Verg. Aen. V, 857: *vix primos inopina quies laxaverat artus*, et *superincumbens — projecit in undas.* II, 692; *vix ea fatus erat senior, subitoque fragore intonuit laevum.* —

3) De imperfecto vide Kuehneri gr. lat. §. 149, adn. 4; ed. 5.

sensum non praebet, nisi explicamus: jam praecesserat terror, quum datae ad id vires sunt. Quae res majoris momenti est, quia Handius (Turs. II, pag. 483) sic *et* posse usurpari prorsus negavit, neque, quod sciam, adhuc ullus ei repugnare ausus est. Atque injuria is Trillerum errasse dicit, qui in epistola ad Cortium[1]) rectissime de hoc loco Lucan. I, 231: *vicinumque minax invadit Ariminum*, et *ignes Solis lucifero fugiebant astra relicto* in hunc modum statuisse mihi videtur. Id quidem largiendum est Handio, ipsam particulam *et* non significare idem ac *jam* sed temporis designationem omnino esse intermissam. Verum sic certatur de solis nominibus, de re ipsa consentitur.

Clausula si per voculam *et* adjungitur, ea aut quae ex antecedentibus verbis consequuntur brevi ac gravi modo indicat, aut externum quoddam apponit eo fine, ut agmen orationis illo loco cogatur. De prima ratione infra agemus. Hic tantum de altera dico, Hist. III, 24: *undique clamor* et *orientem solem (ita in Suria mos est), tertiani salutavere.* Sane pulcherrime et poetico quodam ardore dictum! Claudit enim sententia totam priorum capitum narrationem, qua de atroci inter Vitellianos Vespasianosque proelio dicitur, eoque nocturno. Diu anceps fuisse spissis primum tenebris, dein lunam ortam ostendisse milites, fefellisse tamen luce incerta. Antonium vero alios probris alios laude compulisse, omnes spe promissisque accendisse, ut deficientem animum erigeret. Et magis magisque exardescit narratio, commoventur lectores, donec ad id temporis punctum perventum est, quo sol ascendit. Unde fit ut ea quae quasi picturam tristem et horroris plenam ante oculos nobis posuit scriptor, splendido quodam colore tandem superfundantur, sicut ipse sol oriens gignit spem victoriae in animis militum longa caede fessis. Quare aptissime haec verba orationi ducis subjunguntur. Ac videmus quantam curam in ipsa collocatione sententiarum Tacitus posuerit, quamque mira sint, quae ita efficiuntur. Similem locum habes Agr. 26: *mox ab universis adjici clamorem, et propinqua luce fulsere signa.* — Ann. IV, 19; *et Silius imminentem damnationem voluntario fine praevertit.* XII, 54: *et quies provin-*

1) Quae recepta est a Webero in praef. ad Lucan. pag. 15.

ciae reddita. Hist. III, 85: *et volgus eadem pravitate insectabatur interfectum, qua foverat viventem,* Agr. 16: *ac velut pacti, exercitus licentiam, dux salutem,* et *seditio sine sanguine stetit*, quae verba sic ad morem Taciti se habent, ut qua de caussa Wexius ea rejecta voluerit (prolegg. ad Agr. pag. 115 seq.) vix intelligatur [1]. Haec exempla quodammodo ita etiam explicari possunt, ut *et* valeat: *et deinde* (vid. supra), sed putabam seorsim ea tractanda esse, quum alia vis propria in iis insuper insit.

Sed si quis in oratione vehementer commota ea tantum verbis exprimere vult, quae maximi momenti ei videntur esse, tum facillime fieri potest, ut inter duo enuntiata aliud quoddam, quod nexum et transitum facit, silentio praetermittatur, deturque lectori, ut mente id addat. Quod haud raro nec sine magna vi apud Tacitum invenimus factum esse, Hist. II, 24: *proditum id Othonianis ducibus,* et *curam peditum Paulinus, equitum Celsus sumpsere.* Supra commemoravimus, particulam *et* interdum usurpari, si aliquid subito incidat, atque id nuda verborum adjunctione ipsa quasi depingi. Hoc loco celeritas etiam magis eo indicatur, quod inter duas sententias haec fere omissa sunt: confestim duces munia inter se distribuerunt et cet. Hist. I, 56: *aut bellandum adversus desciscentes aut si concordia et pax placeat faciendum imperatorem*, *et minore discrimine sumi principem quam quaeri.* In orationibus indirectis jam vidimus *et* saepe ita poni, ut post id supplendum sit *dixit* vel *addidit.* Hic vera suppleas: sibi hoc melius videri, nam. Hist. II, 54: *donec missae a Fabio Valente epistolae demerent metum, et mors Othonis quo laudabilior eo velocius audita; et* valet: id brevi tempore factum est, nam; latet enim celeritatis quoque denotatio in vocabulo *et*, Hist. III, 15: *Fabium Valentem profectum ab urbe acceleraturumque cognita Caecinae proditione conjectabat; et fidus Vitellio Fabius nec militiae ignarus;* pro *et* pone: nec sine caussa nam, si filum orationis continuum reddere vis. Hic locus ex parte ad eos accedit, in quibus particula significationem: *et sane* exhibere infra videbimus, Germ. 26: *arva per annos mutant; et superest ager,* h. e. neque obstat quicquam, quin hoc faciant, nam. Hist. III, 45: *tum petita*

---

1) cf. Kritz, de glossem. falso. Tac. Agricolae imputatis pag. 12 seq.

a Romanis praesidia, et cohortes alaeque nostrae, variis proeliis, exemere tamen periculo reginam. Locum qui legitur Hist. V, 13: *arma cunctis qui ferre possent; et plures quam pro numero audebant*, optime, ut adsolet, expedit Lipsius, quum dicat: fuere obsessa sexcenta milia; credas quartam aut circiter partem (pro communi ratiocinatione) arma tulisse; at hic aliter fuit, et plures impetu atque ardore ceperunt. Qui? infra aut supra legitimam aetatem, pueri senesque. —

Postremo addam pulcherrimum hujus brevitatis exemplum, quod legitur Hist. I, 49. postquam de morte Galbae relatum est: *hunc exitum habuit Servius Galba tribus et septuaginta annis quinque principes prospera fortuna emensus* et *alieno imperio felicior quam suo.* Enuntiatum profecto simplicissimum sed plenum gravitatis. Nam atrocissimo Galbae exitu descripto, omnia quae fusius exposuit scriptor his verbis denuo complectitur, atque opponit iis, quam longam felicemque vitam Galba degerit. Quinque imperatorum superstitem fuisse, prospera semper fortuna, denique ipsum ad summum principis fastigium ascendisse, ita ut in extrema senectute ad extremam simul felicitatem pervenisse visus esset. Utinam tamen antea vita decessisset, nam *alieno imperio felicior fuit quam suo.* Quomodo haec intelligi vult scriptor, ex iis quae antea narravit colligendum est, quae quamvis sint tetra atque foedissima tamen ob haec parca atque modesta verba plus etiam horroris nobis incutiunt[1]).

2. Satis notum est aliquando poni *et,* ubi particulam adversativam exspectemus. Quod apud scriptores aureae aetatis eo redit, ut ad sententiam negativam accedat affirmativa quaedam, qua filum orationis continuetur[2]), vel ut vocabula contraria sibi opponantur[3]). Apud Tacitum paullo latior est usus, quem inter

1) Interdum, si ellipsis cogitanda est, ponitur etiam particula *atque*, si omnino sic dicere licet, nam particulae ad constituendam ipsam ellipsin nihil faciunt, sed sua quaeque vi sententiam apponunt. Hist. II, 91: *ventitabat in senatum, etiam cum parvis de rebus patres consulerentur*, ac *forte Priscus Helvidius praetor designatus contra studium ejus censuerat.* Supple: *atque aliquando curiam ingressus est, quum forte* cet. Memorabilis autem hic locus, quia ellipses apud Tacitum aliter comparatae esse solent. *ac* ponitur propter *forte* cf. pag. 36.

2) Madv. gr. lat. §. 433, adn. 2.

3) Hand, Turs II, 494 seqq.

praecipuas proprietates ejus habendum esse recte Nipperdejus monet [1]). Incipiamus ab usitatis.

Hist. I, 16: *ne ipse quidem ad securas res accessi;* et *audita adoptione desinam videri senex, quod nunc mihi unum objicitur,* Ann. I, 65: *non tamen obsecutus, et manum intendentis reppulisse.* II, 55: *neque tamen mitigatus Piso et vix dici moram perpessus.* Hist. I, 76: *idem ex Hispania adlatum laudatusque per edictum Cluvius Rufus; et statim cognitum est conversam ad Vitellium Hispaniam.* Hist. II, 57: et *paucorum dierum iter progressus prosperas apud Bedriacum res accepit,* opponuntur verba iis quae ab initio capitis leguntur: *interim Vitellius victoriae suae nescius.* Hist. III, 60: *satis gloriae praelio Cremonensi partum, et exitio Cremonae nimium invidiae.* — Ann. V, 3: *missae litterae quas pridem allatas* et *cohibitas ab Augusta credidit vulgus.* Pessime Acidalius — cujus vestigia pressit Orellius — scripsit: *set.* Atque omnino id sequi possumus, numquam *et* quod codex habeat in *set* mutandum esse. At num ex contrario interdum agi possit, videbimus, quum de particula *sed* exponetur. Ann. XII, 30: *dum adipiscerentur dominationis multa caritate* et *majore odio postquam adepti sunt.* XVI, 5: *adversum illustres dissimulationem ad praesens et mox redditum odium.* —

Agr. 3: *Nunc demum redit animus,* et *quamquam — Nerva Caesar res olim dissociabiles miscuerit — natura tamen infirmitatis humanae tardiora sunt remedia quam mala.* Miror quod Spengelius [2]) eos parum gnaros vocat linguae latinae, qui hic particulam *set* flagitari non videant. Coercetur prima sententia. Agr. 36: *interim equitum turmae — peditum se proelio miscuere,* et *quamquam recentem terrorem intulerunt, densis tamen hostium agminibus haerebant,* Agr. 15: *sic Germanias excussisse jugum,* et *flumine non Oceano defendi:* verba *et flumine* tollunt ea quae sequuntur; positio membrorum inversa est gravitatis caussa. Hist. II, 95: *magna et misera civitas eodem anno Othonem Vitelliumque passa, inter Vinios Fabios Icelos Asiaticos varia et pudenda sorte agebat. donec successere Mucianus et Marcellus* et *magis alii homines quam alii mores.* Hist. I, 28: *anteposuere ceteri quoque tribuni centurio-*

1) in praefat. ad annales pag. 34 seq.

2) specim. emendatt. in Tacit. Monachii 1852, pag. 16.

nesque praesentia dubiis et honestis h. e. dubiis sed quae honesta essent, Ann. I, 38: *reduxit in hiberna turbidos et nihil ausos;* injuria interpretatur Orellius *turbidos* vocabulo *perterritos;* recte censet Nipperdejus, cujus conferas adnotationes et ad hunc locum et ad ann. XIV, 65. ubi plura congessit exempla quae huc spectant.

Addiderim quasi per saturam aliquot exempla ex parte ab interpretibus temptata, quod eo magis miremur, quum hic usus frequentissimus sit, Agr. 9: *gravis intentus severus* et *saepius misericors.* Halmio *set* visum est scribere, Wexius totum locum uncis circumdedit; perperam uterque. Hist. I, 35: *nemo scire et omnes adfirmare,* quod optime spirat commotionem illam animi, quae satis habet indicasse ea quae facta sunt, arctioris nexus ratione non habita. Similiter comparatus est locus Hist III, 56: *ita formatis principis auribus, ut aspera quae utilia, nec quidquam nisi jucundum* et *laesurum acciperet.* Agr. 26: *ita ancipiti malo territi Brittanni, et Romanis rediit animus.* Hist. I, 12: *minore metu et majore praemio peccaretur.* Hist. II, 3: *simulacrum deae non effigie humana, continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum metae modo exsurgens;* et *ratio in obscuro.* IV, 34: *immane quantum suis pavoris et hostibus alacritatis indidit.* V, 7: *modicum id litus et egerentibus inexhaustum*[1]. 17: *sed cuncta mox prospera et hosti contraria evenisse.* Ann. II, 5: *promptam ipsis possessionem et hostibus ignotam.* XII, 52; *de mathematicis Italia pellendis factum senatusconsultum atrox et irritum.* XIII, 46: *procax otii et potestatis temperantior.*

Jam, puto, non erit, qui de hoc usu dubitet. —

3. Disjunctivae particulae vice vocubulum *et* ita solum fungitur, ut adversus duas notiones per *aut* compositas alia duo verba conjungat, quae illas singillatim respiciant. Quae ratio, haud dubie nata ex studio variandi quodam (nam et contraria invenitur), paene in consuetudinem apud Tacitum se vertit. Hist. II, 46: *ut flexerat voltum* aut *induraverat Otho, clamor* et *gemitus,* ubi vocabulum *clamor* spectat ad verba *flexerat voltum, gemitus* ad *induraverat.* Ann. I, 69: *ut quis inops* aut *saucius,*

1) cf. Walther ad ann. I, 13.

vestem et *fomenta dilargita est.* XV, 59: *fuere qui hortarentur Pisonem pergere in castra aut rostra escendere, studiaque militum* et *populi temptare.* —

4. Veniamus ad id genus dicendi, ex quo ad sententiam quandam vel notionem per *et* adjunguntur ea quae consequuntur vel tam arcte cohaerent, ut simul semper incidant necesse sit. Primum de plenis sententiis dico. Et potest duplex distingui modus, quum ea quae particula adnectuntur consequantur aut ex una sententia praecedenti, aut ex pluribus, ita ut quasi summam ex iis efficere videantur. En exempla.

Hist. III, 23: *hinc majores equorum virorumque umbrae,* et *falso ut in corpora ictu tela hostium citra cadebant,* h. e. et ita factum est, ut. — Hist. IV, 14: *hinc invidia; et compositae seditionis auctores perpulere ut delectum abnuerent.* IV, 18: *illuc incubuere Germani; et fuit interim effugium legionibus in castra quibus Veterum nomen est.* V, 22: *animadversum id Germanis; et insidias composuere.* 26: *non fefellit Civilem ea inclinatio, et praevenire statuit.* Ann. XII, 46: *augetur flagitii merces, et Pollio occulta corruptione impellit.* 29: *mox diuturnitate in superbiam mutans* et *odio accolarum simul domesticis discordiis circumventus;* odium accolarum ex Vannii superbia provenit. — Haud dubie exortus est hic usus ex ea quam supra exposuimus significatione particulae, qua valet: *et tum et deinde*; id enim quod interiore quadam necessitate coactum ex aliqua re nascitur, semper etiam posteriore tempore in lucem prodeat necesse est. Ita vero studium breviter dicendi valde adjuvari in propatulo est. Inspicias velim locum qui Ann. XIII, 43 exstat: *tum jussa Messalinae praetendi* et *labare defensio: cur enim neminem alium delectum qui saevienti impudicae vocem praeberet?*, cui hic videtur sensus subesse: Messalinae jussa praetendit, ut sese defenderet; sed simul salutem in praeceps dedit id quod cum ea re arctissime conjunctum erat; jam enim ex eo quaesitum est cur cet. — Hist. I, 66: *is diu sordidus repente dives mutationem fortunae male tegebat, accensis egestate longa cupidinibus immoderatus* et *inopi juventa senex prodigus; postremum enuntiatum tamquam rationis summam reddit.* IV, 69: et *Valentini animum laudabant, consilium Auspicis sequebantur.* V, 21: *aderat fortuna etiam ubi artes defuissent. Hinc ipsi exercituique minor cura disciplinae,* et *paucos post dies quamquam peri-*

culum captivitatis evasisset, infamiam non vitavit. Ann. I, 63: *inde hostibus terror, fiducia militi;* et *manibus aequis abscessum.* IV, 36: *objecta publice Cyzicenis incuria caerimoniarum divi Augusti, additis violentiae criminibus adversum cives Romanos,* et *amisere libertatem.* —

Sequuntur singulae notiones. Germ. 44: *solutum, ut in quibusdam fluminum,* et *mutabile ut res poscit hinc vel illinc remigium; et* positum est tamquam: et de ea caussa. Hist. I, 4: *clientes libertique damnatorum et exsulum,* h. e. eorum qui damnati eoque expulsi erant, sicuti Hist. IV, 44: *ambo gravi senatusconsulto damnati pulsique, quamvis concesso aliis reditu in eadem poena retenti sunt.* Neque enim crediderim etiam de interfectis cogitandum esse, quod Orellio visum est. Hist. I, 21: *nec Lusitaniam rursus et alterius exsilii honorem exspectandum;* adnectit particula id quod necessario cum primo enuntiato conjunctum est namque pertinent haec ad ea quae cap. 13 enarrantnr: Othonem a Nerone in provinciam Lusitaniam sepositum esse specie legationis. Hist. I, 22: *dum novos motus et clarum Othoni annum observatione siderum adfirmant.* 27: *quae significatio coeuntium jam militum et paratae conjurationis convenerat,* 83: *volgus* et *plures seditionibus et ambitioso imperio laeti;* Orellius rectam nescio cujus explicationem affert: iique propterea plures. 88: *sapientibus quietis et reipublicae cura,* quietem exoptabant, unde apparebat eos rem publicam vere curare; nam Othones et Vitellii, qui omnia seditiose turbarent, nihil nisi detrimentum importabant[1]). Hist. II, 22: *librato magis et certo ictu.* 49; *Othoni sepulcrum exstructum modicum et mansurum* (cf. Orell.). IV, 81: *statos aestivis flatibus dies et certa maris opperiebantur,* Ann. I, 75: *unde ceteri silentium* et *paupertatem confessioni* et *beneficio praeposuere,* III, 26: *Numa religionibus et divino jure populum devinxit;* recte perspexit sensum Orellius, qui adnotat: divinum jus ipsum oriri ex religionibus. XIV, 29: *adversus breve et incertum.*

---

1) Haec explicandi ratio saepe pendet ex cogitatione ejus qui legit. Sic Hist. I, 53: *Caecina aegre passus miscere cuncta* et *privata volnera rei publicae malis operire statuit,* reapse id quod posteriore enuntiato indicatur tum demum incidere poterat, quum Caecina cuncta miscuerat, vel uno eodemque temporis spatio; sin verba: *privata — operire* ex Caecinae sententia dicta esse sumimus, caussam designant, atque prius exstiterunt quam primum enuntiatum. —

5. Jam transgredimur ad tractandos eos locos, ubi per particulam *et* sententia quaedam aut notio explicandi vel comprobandi caussa apponitur, quae res quantum ad explicandum ipsum Tacitum faciat jamjam intelligemus.

Dicamus primum de sententiarum conjunctione. Hist. II, 10: *id senatusconsultum varie jactatum* et *prout potens vel inops reus inciderat, infirmum aut validum retinebatur.* Quid significet *varie jactatum* proximis verbis explicatur; *et* positum esse sumas loco *et quidem* (nämlich, u. zwar), nisi mavis ipsam particulam causalem[1]). — hist. I, 79: *laeto Othone et gloriam in se trahente.* Agr. 10: *sed hactenus jussum, et hiems adpetebat.* Hist. I, 56: *occupari nutantem fortunam et offerri principem placuit,* 65: *Lugdunenses exstimulare singulos militum et in eversionem Viennensium impellare.* II, 3: *sed scientiam artemque haruspicum accitam, et Cilicem Tamiram intulisse.* 4: *postquam pandi viam et mare prosperum accepit, de se interrogat.* III, 60: *aegre id pati miles et victoriam malle quam pacem.* II, 56: *obnoxiis ducibus et prohibere non ausis;* intellige: quippe qui prohibere non auderent, ita ut in verbis *non ausis;* maxima posita sit vis. Causam ea quae sequuntur continent, nam Caecina non audebat ob ambitionem, Valens quia ipse divitiarum avidissimus erat. Neque opus est Wurmii conjectura, qui scribit *vel.* Hist. IV, 59: *Voculam liberti servique prohibuere foedissimam mortem sponte praevenire, et Classicus misso Aemilio Longino desertore primae legionis eaedem ejus maturavit;* cur fuerit foedissima mors, insequente sententia indicatur: quoniam a scelesto desertore offerebatur. Ann. III, 38: *non enim Tiberius non accusatores fatiscebant, et Ancharius Priscus Caesium Cordum postulaverat de repetundis.* — Sed quem in comparationem vocat locum Nipperdejus: Ann. XI, 35: *eadem constantia et illustres equites Romani cupido maturae necis fuit, et Titium Proculum* cet, is ita comparatus est, ut quae sit vera codicum lectio vix certo expediri possit. Mihi maxime placet quod apud Halmium legitur: *eadem constantia et illustres equites Romani cupidi maturae ne-*

---

1) Nihil ad rem refert de lectione hujus loci homines doctos inter se dissentire, quum Med. praebeat: *retinebat,* quod plerisque nullum sensum exhibere visum est. Quoquo modo res se habet, ratio duorum, quae particula *et* conjunguntur enuntiatorum eadem manet.

cis fuerunt. *Titium Proculum* cet., quum non adducar, ut cum Nipperdejo verba *cupido maturae necis fuit* pro glossemate habeam, quamquam nuper etiam Ritterus in partes ejus transiit [1]. Sed licet rectam viam ille ingressus sit, tamen sententia *et Titius Proculus* cet. eorum quae antecedunt explicationem accuratiorem non exhibet. Nam primum T. Proculus minime mortis fuit cupidus, ut apparet ex verbis *indicium offerentem*, quippe quae significent ex indicio fore ut sibi impunitatem pararet eum sperasse [2]. Deinde etiam in universa sententia de constantia quadam moriendi nullus fit sermo, sed tantum de supplicio reorum. Videntur illustres illi equites Romani fuisse plane alii, atque ii qui hoc loco vocantur. Unde tamen non protinus consequitur, nomina horum equitum excidisse, quod putat Ritterus l. c. —

Pervenimus ad singula verba vel enuntiata in hunc modum particula *et* conjuncta. Atque notum est, saepe apud Latinos conjungi duo adjectiva, quorum alterum ex altero judicio depromptum est, ita ut insequens simul accuratiorem primi adjectivi explicationem addat, id quod alias per relativam sententiam exprimi solet. Est igitur generalior semper prima notio [3]. Praesertim primo loco inveniuntur adjectiva, quae ad numerum vel magnitudinem pertinent, quaeque in nostra lingua non exhibent plenam attributi notionem. Apud Tacitum autem quo abierit ille usus, jam videamus.

Trita sunt haec: Ann. I, 1: *pauca et extrema.* III, 13: *vetera et inania.* Hist. II, 95: *magna et misera civitas.* IV, 7: *continuas et infestas orationes.* 40: *pauca et modica disseruit.* Nos vel nullam ponimus conjunctionem vel eas quae sunt: und zwar, nämlich, vel relativa sententia utimur. Agr. 17: *multa proelia et aliquando non incruenta.* Germ. 31: *et aliis Germanorum populis usurpatum raro et privata cujusque audentia apud Chattos in consensum vertit.* 38: *rarum et intra juventae spatium.* Hist.

---

2) Philolog. vol. 19, pag. 270.

3) Id Nipperdejus diffitetur; qua de caussa incertum.

3) Parum accurate id videtur exprimere Handius quum dicat Turs. II, 476: praecedit primo loco id nomen quod alteri inhaeret, ejusque notionem amplificat et constituit. Nam postremae duae sententiae sibi repugnant; id quod notioni cuidam inhaeret, eam non amplificat sed arctius constringit, non constituit sed tantum definit.

II, 4: *pauca in praesens et solita respondens.* III, 64: *paucas Vitellio cohortes et maestis undique nuntiis trepidas.* Ann. I, 2: *tuta et praesentia quam vetera et periculosa malle.* IV, 3: *ut pro honestis et praesentibus flagitiosa et incerta exspectarent.* Interdum *et* admodum prope accedere potest ad significationem vocabulorum *insuper adhuc* [1]), ut Ann. I, 68: *raro super milite et quasi ob metum defixo.* Hist. I, 51: *nec socios ut olim sed hostes et victos vocabant* (Feinde, und zwar besiegte Feinde).

Jam vero substantiva in censum vocanda sunt. Ann. XIII, 46: *Neronem paelice ancilla et adsuetudine Actes devinctum,* quod enuntiatum apte sic dissolvas: *Neronem devinctum esse paelicis adsuetudine quippe quae esset ancilla Acte* ita ut *adsuetudine* ad *paelice,* porro *Actes* ad *ancilla* explicandi causa accedant. Ann. I, 42: *hostium quoque jus et sacra legationis et fas gentium rupistis.* Nipperdejus affert, Quinct. inst. VIII, 4, 26 ubi verba facit Quinctilianus de congerie verborum ac sententiarum idem significantium. Sed hoc loco non sola verborum congeries intelligenda est, sed aliud ad aliud apponitur accuratius definiendi gratia. Sunt igitur in hunc fere modum accipienda: rupistis fas gentium quod inter hostes quoque sanctum habetur, scilicet sacra legationis. Similiter Rothius explicat [2]), nisi quod falso dicit fas gentium illa priora membra complecti, quod quamquam in universum recte habere posset, tamen aliud fuit scriptoris consilium. Ann. II, 82: *juvat credulitatem nox et promptior inter tenebras adfirmatio.* Ann. IV, 25: *se quisque ultione et sanguine explebant;* ultio caedibus palam fiebat. 67: *sed tum Tiberius duodecim villarum nominibus et molibus insederat.* VI, 41: *se quisque stimulant ne pugnam per sagittas sinerent; impetu et comminus praeveniendum;* junctura paullo insolentior ablativi et adverbii. Ann. XVI, 12: *liberto et accusatori praemium datur.* — Hist. I, 70: *Poenino itinere subsignanum militem et grave legionum agmen hibernis adhuc Alpibus traduxit.* Hic locus ex difficilioribus est, quia cum accurata ejus explicatione cohaeret quaestio, qui fuerint milites subsignani. Quos si quis habet pro omnibus iis qui in justam [3]) militiam ab imperatore recepti sub signis Romanis

1) cf. pag. 120. 2) de Tacit. synonymis pag. 45.

3) Sic nominabatur: cf. Suet. Galb. 12: *quos Nero ex remigibus justos milites fecerat.*

erant, id ipso hoc nostro loco refellitur. Nam auxiliares non cum subsignano milite fuerunt, quum Caecina eos praemisisset, ut antea narratur. Accedit quod Hist. IV, 33, ubi idem vocabulum reperitur, vix dubitari potest quin legiones solae intelligantur. Narratur enim, subsignano milite in medio posito, auxiliis passim circumfusis, quum alae equitum Nerviorumque cohortes — quippe quibus constarent auxilia — fugatae essent, ad *legiones* perventum esse. Sed e contrario quominus hanc amplectamur explicationem obstat, quod ambigi non potest, ceteroquin si de militibus qui *sub signis* sunt sermo fiat et legiones et auxiliares intelligi [1]). Quid igitur statuendum? Homines docti, qui de re militari apud Romanos scripserunt, fere omnes tacent, sin mentionem hujus rei injiciunt [2]), tamen his duobus Taciti locis nituntur solis. Jam equidem antequam de tota quaestione proferam quid judicem in auxilium voco tertium locum, longe quidem repetitum illum, sed ut apparebit, dignum sane qui afferatur. Legitur autem apud Ammianum Marcellinum lib. 29. §. 23 ed. Wagn.: *Dardanos hostes memorantes internecivos et juste quae sustinuere perpessos: hos vero subsignanos milites debuisse lenius corrigi, ad unum prolapsos errorem.* Patet ex iis quae praecedunt hoc loco in militibus subsignanis numerari etiam equites quartae sagittariorum cohortis. Qui cum essent ex auxiliaribus [3]), videmus id vocabulum ab Ammiano prorsus alio sensu usurpatum esse atque a Tacito. Quod licet majores etiam videatur turbas movere, tamen reapse nodum illum nobis dissolvet. Nam his tribus locis, nisi egregie fallor, id vocabulum invenitur solis [4]). Unde id mihi videtur concludi posse, hanc omnino non fuisse appellationem in re militari usitatam et propria quadam notione insignem, sed certe a Tacito ipso inventam, quod facile fieri poterat, si in memoriam ei veniebat vocabulum: *ante*signani, apud Caesarem saepe obvium, quo significabantur milites expediti, quippe qui et in acie et in agmine ceteris apud signa retentis procurrere solerent [5]). Quin

---

1) Suet. Aug. 101: *quantum militum sub signis ubique essent.*

2) Sicut *Lange* in historia mutationum rei mil. Rom. pag. 48.

3) *Lange*, pag. 92.

4) Silet *Vegetius*. Etiam *Forcellini* tantum tres illos locos affert.

5) *Lange*, pag. 20.

revera eum de hoc vocabulo cogitasse apparere videtur ex eo quod Hist. I, 70 ad verba *subsignanum militem* addit epexegesin illam: *grave legionum agmen*, h. e. sarcinis et impedimentis oneratum, quibus liberati erant expediti. Debebat vero illud addere, quia novum plane vocabulum in medium proferebat, quo quid indicaretur alioquin non intellexissent lectores, praesertim quum, ut dixi, milites qui sub signis esse dicebantur et legionarios complecterentur et auxiliares. Denique probatur haec nostra sententia vel maxime eo quod apud unum Ammiannm hoc vocabulum semel invenitur, et sensu contrario. Nam si aequa vi id usurpasset, tum semper cogitare liceret talem revera in re militari exstitisse significationem. Contra nunc id tantum elucet, Ammianum Taciti opera legisse, vocabulumque ex eo adsumpsisse, quod cum in certo usu non esset, ad suum arbitrium flectere posset.

Ac ne illud quidem a Taciti usu alienum est, quod notio quae tempus vel locum designat cum aliqua componitur quae qualitatem quandam significat. Ann. I, 55: *(bellum) initio veris et repentino in Chattos excursu praecepit.* Hist. I, 74: *crebrae interim et muliebribus blandimentis infectae ab Othone ad Vitellium epistolae.* — Hist. III, 30: *propinqua muris tecta et altitudinem moenium egressa* [1]. Porro conjunguntur duo enuntiata, quorum alterum prius alterum posterius indicat tempus. Ann. I, 29: *orto die et vocata contione.* III, 11: *reo patronos petenti iisque diversa excusantibus M.' Lepidus et L. Piso et Livineius Regulus adfuere.* Ann. XIII, 21: *sic lenito principis metu et luce orta itur ad Agrippinam* [2]. Quo etiam illud pertinet saepissime apud Tacitum obvium quod ablativi absoluti particula copulativa adnectuntur ad aliud quoddam attributum. Ann. XIII, 20: *com-*

---

1) Non remotum videtur hoc loco adnotare, Tacitum aliquando, ut videtur, paullo quaesitius vocabula quam diversissima conjungere, dummodo ad unam eandemque rem spectent. Ann. II, 9: *erat is in exercitu cognomento Flavus, insignis fide et amisso per volnus oculo.* I, 68: *donec ira et dies permansit.* XIV, 61: *palatium multitudine et clamoribus complebant.* Hist. III, 22: *ordinem agminis disjecti per iram ac tenebras adseverare non ausim.* Agr. 37: *finis sequendi nox et satietas fuit.* Alia collegit Boetticherus, lex. Tac. prolegg. pag. 78, sed parum caute recta falsa miscuit.

2) cf. Nipperd. ad Ann. I, 55.

positus ad maestitiam expositoque indicii ordine[1]. XV, 12: *ille interritus et parte copiarum apud. Suriam relicta.* Hist. IV, 16: *directa ex diverso acies haud procul a flumine Rheno et obversis in hostem navibus.* Simile est Ann. XIII, 19: *Silana — Agrippinae diu percara, mox occultis inter eas offensionibus.* Dein sententia relativa in hunc modum adjungitur. Hist. II, 25: *cunctator natura et cui cauta potius consilia cum ratione, quam prospera ex casu placerent;* germanice reddas: und zwar ein solcher dass ihm cet., unde explicatur conjunctivus. Potest autem tale enuntiatum relativum vario modo usurpari; Hist. I, 10: *et cui expeditius fuerit tradere imperium quam obtinere* consecutionem exhibet; Hist. III, 9; *et qui solus ad id bellum bonas artes attulisset* aliquid insuper addit; Ann. II, 88: *et qui non primordia populi Romani, sed florentissimum imperium lacessierit,* enuntiatum simpliciter adjungitur[2].

Neque silentio praetermittendum est, saepenumero ad breve enuntiatum longiorem sententiam per epexegesin accedere, id quod ad rhetoricam Taciti in componendis sententiis artem spectat. Hist. II, 23: *aegre coercitam legionem et pugnandi ardore usque ad seditionem progressam,* h. e. parum aberat quin seditio exardesceret, cui providit Gallus eo quod legionem Bedriaci locavit. 95: *ingenti paratu et ante illum diem insolito.* III, 50: *Silvanum socordem bello et dies rerum verbis terentem.* —

Jam parati nobis esse videmur, ut quosdam locos admodum difficiles ad intelligendum recte tractemus.

Ann. IV, 3: *ceterum plena Caesarum domus, juvenis filius, nepotes adulti moram cupitis adferebant,* e t q u i a *vi tot simul corripere intutum, dolus intervalla scelerum poscebat.* Nipperdejus judicat, sententiam *dolus intervalla scelerum poscebat,* si *et quia* legatur, apodosin formare ad protasin: *quia vi tot simul corripere intutum;* atqui opus esse ut utraque sententia caussas verborum *moram cupitis adferebant* exhibere intelligatur. Ergo delevit *et*, quod postea etiam Baitero visum est. Sed rectissime habet. Haud dubie quidem verba *quia — poscebat* ea quae praecedunt

1) Diversi hoc in usu particula *que* nihil habet, quare praecipere posse locum putabam.

2) Plura dat *Heraeus*, stud. crit. pag. 63, qui et ex Cicerone Livio Plinio Suetonio exempla collegit.

confirmant, verum ita ut ex more Taciti vocula *et* sit aptissima. Nam quod explicui, hanc particulam saepissime adjungere sententiam aut notionem, qua id quod praecedit arctius definiatur, ita ut eandem vim videatur habere, atque: et quidem, nostra autem lingua vel verbis: und zwar, nämlich, vel omnino ullo verbo non reddatur — id ex omni parte de hoc loco valet. Neque audacius hoc mihi videtur dictum, quam si ablativi absoluti per *et* adjunguntur, ut modo vidimus. Ceterum affero locos similes.

Ann. XVI, 15: *is fortitudinem saepe adversum hostes spectatam in se vertit, et quia venae quamquam interruptae parum sanguinis effundebant, hactenus manu servi usus, ut immotum pugionem extolleret, adpressit dextram ejus juguloque occurrit.* Qua in re apparuit spectata illa Ostorii fortitudo? Quodne venas solvit? Minime vero; nam hoc fere omnes fecerunt, quibus mortis arbitrium ab imperatore permissum erat et fortes et ignavi. Immo ea est fortitudo, quae in proximis quae sequuntur verbis enarratur. Itaque *et quia* significat fere: weil nämlich, atque fortitudo quaenam fuerit, accuratius indicat. Sed Nipperdejus ante *et quia* punctum posuit, ex quo suspicionem traho aliter eum hunc locum intelligi voluisse. — Agr. 4: *namque M. Silanum accusare jussus et quia abnuerat interfectus est.* Non possum non mirari, quod et Wexius, doctissimus ille Taciti investigator, post *jussus* suppleri vult *est* [1]), ne de Acidalio et Ernestio dicam, qui particulam delendam esse censebant. Verba *et quia abnuerat* epexegesin formant verborum *M. Silanum accusare jussus*, atque arctissime cum iis cohaerent, quum sine illis cogitari non possint; itaque prima sententia generalior est, in altera autem major posita est vis. Verum talia enuntiata quomodo expedienda sint, infra fusius exponemus [2]). — Locus Ann. IV, 12: *Sejanus ubi videt mortem Drusi inultam interfectoribus, sine maerore publico esse, ferox scelerum et quia prima provenerant volutare secum* in eo saltem similis est, quod generaliorem causam sequitur specialis quaedam, etsi de interiore nexu ambigi potest.

Quum semel in hac quaestione verser, nonnulla praecipere

---

1) Sic Waltherus quoque explicat, similiaque afferre sibi visus est, quae tamen omnia aliter comparata esse primo obtutu comparet.

2) cap. II.

liceat proprie tum demum tractanda, quum de conjunctione *que* agetur. Sed ex omni parte huc pertinent. Ann. XIII, 47 haec legimus: *suspectabat maxime Cornelium Sullam, socors ingenium in contrarium trahens callidumque et simulatorem interpretando.* Vix cuiquam dubium esse potest, quin verba: *callidum — interpretando* ea quae antecedunt altius expediant. Quum autem id ablativo qui est *interpretando* satis jam indicetur, elucet voculam *que* plane esse superadditam. Quod tamen ut eam ejiciamus nullo pacto nos adducit. Sed denuo intelligitur, quam late serpserit studium dissolvendi periodos. Atque hic locus ansam mihi praebeat ad explicandum alium qui invenitur Ann. XIV, 16: *etiam sapientiae doctoribus tempus impertiebat post epulas utque contraria adseverantium discordia frueretur.* Nipperdejus dicit, has sententias de ea caussa per *que* conjungi, quia et in tempore et in consilio quod de philosophis habuit Nero esset aliquid quod vituperaretur, quippe quum post epulas philosophari potis non fuisset; atque comma posuit post *impertiebat.* Sed frustra consumit operam. Nam non duae res spectantur, verum una tantum; at mirum fuit tempus philosophandi; itaque explicatione opus erat. Apparet autem, fortiorem eam existere, si ponatur sententia explicans ut per se ipsa gravis ac cum iis quae praecedunt ex aequo conjungatur, quam si ex ratione sua subjungatur. Simile quid nos designamus enuntiato: damit nämlich.

Sed ad particulam *et* redeamus. Reputandum est, nonne etiam locum Hist. I, 85 sic possimus explanare in quo praeter alios vetustiores haeserunt etiam Doederlinus et Haaseus. Verba sunt: *non tamen quies urbis redierat; strepitus telorum et facies belli et militibus ut nihil in commune turbantibus, ita sparsis per domos occulto habitu et maligna cura in omnes, quos nobilitas aut opes aut aliqua insignis claritudo rumoribus objecerat.* Agitur enim de illo *et*, quod ante *militibus* locum habet. Puteolanus scripsit *erat;* Rhenanus: *non tamen quies urbi. sed erat strepitus telorum et facies belli; et militibus cet.* Lipsius Puteolani lectionem restituit; Waltherus putat *et* recte habere, sed additum ut indicaretur verba *militibus* cet. non e proximis verbis pendere sed e prioribus; denique Doederlinus et Haaseus molestum illud *et* e medio sustulerunt. Nobis vero mirum profecto videtur, quod

hic usus dicendi homines doctos tamdiu elusit. Quid enim aliud hoc loco tenemus, ac illud *et* quod epexegesin apponit? Narravit Tacitus, Othonis oratione et modo quem in severitate adhibuisset animos militum paullulum esse ad praesens compositos. Itaque si deinde legimus: *strepitus telorum et facies belli,* jure quaerimus, quid haec sibi velint verba quum antea dictum sit, animos compositos esse. Haec autem ipsa fuit caussa scriptori, cur sententiam *militibus ut nihil* cet. adderet, et eo quidem modo ut vis illius sententiae statim compareret, id quod addito vocabulo *et* ex sua consuetudine elegantissime perfecit. Nam hic erat status urbis, ut specie quietis, quum in commune quidem milites non seditiose agerent, tamen ubique cernebantur armati et minaces qui per singulas domos sparsi omnia formidine implerent.

Hist. I, 7: *ipsa aetas Galbae inrisui ac fastidio erat adsuetis juventae Neronis et imperatores forma ac decore corporis, ut est mos volgi, comparantibus.* Enuntiatum, quod per *et* adjungitur, explicat (da sie nämlich); neque vero, ut quidam voluerunt, in universum dictum est — id quod propter ipsa verba *ut est mos volgi,* quippe quae tum tautologiam praeberent, non videtur accommodatum sed imperatores intelliguntur ipsi Galba ac Nero.

Hist. II, 1: *materia sermonibus senium et orbitas principis et intemperantia civitatis, donec unus eligatur multos destinandi.* Adscripsi locum, quia facillime in explicando eo errari posse censeo. Quaeritur enim, quemnam casum praeferat verbum: *intemperantia?* Contendo ablativum. Nam si nominativum sumimus, e vocabulo *materia* ad nostrum verbum supplendum est *causa,* quia intemperantia civitatis *materiam* sermonibus praebere non potest; quae brachylogia hoc loco videtur durissima. Contra omnia optime intelliguntur, si ablativum causalem accipimus, cui *et* ex more Taciti additum est, sicut supra prorsus parem tractavimus locum (Ann. XIII, 47) [1]).

1) Sub finem ejusdem capitis in Haasei editione leguntur: *offensam haud dubiam victoris et incerta adhuc victoria; at concedente* cet., ut vocabulum *et* ex codicum auctoritate, quae quidem non est gravis hoc loco quum Mediceus nos deficiat, retineatur, deinde *incerta* pro *incertam*, *victoria* pro *victoris,*, *at* pro *et* scribatur. Sed quomodo intellexerit vir doctissimus verba: *et incerta adhuc victoria*, me fateor nescire. Probaverim Rhenani *sed;* deinde vero, utrum scribendum sit *incertam victoriam* an *incerta victoria* vix puto certo dijudicari posse.

Haec hactenus. — Jam ut omnia absolvamus duo tantum restant.

Primum enim ad explicandam notionem accedere potest talis quoque, quae latius patet atque priorem comprehendit. Tum autem ratio ea est, ut constituat altera notio priorem et indicet, quorsum spectat illa, sed per se ipsa etiam aliquid novi insuper addat. Quod quum per se mirum non sit, tamen non praetermittendum esse putabam ob ea quae capite altero in animo est exponere. Interea sufficiant exempla haec: Ann. XII, 43: *navibus et casibus vita populi Romani permissa est;* intelligimus e verbo *casibus,* etiam in *navibus* cogitandum esse de rebus adversis quae navigantibus accidant; at simul indicantur alia quoque mala praeter ea quae navigatione nascuntur. XIII, 46: *Poppaea primum per blandimenta et artes valescere;* blandimenta ipsa ex iis artibus erant, quae Ann. XIV, 1 *artes adulterae* vocantur; cujus loci verba sunt: *haec atque talia lacrimis et arte adulterae penetrantia nemo prohibebat;* atque eadem est res XVI, 19: *nihil de immortalitate animae et sapientium placitis.* Hist. III, 31: *ut praeberi ora contumeliis et posita omni ferocia cuncta victi patiebantur.*—

Alterum quod commemoraverim, pro solo additamento haberi velim ad ea quae hucusque de explicandi vel comprobandi ratione disputata sunt. Nam adjungere potest per *et* sententia, qua edicitur ea quae antea prolata sint revera ita se habere, quare *et* videtur valere: et sane, et profecto. Ann. II, 12: *habita indici fides; et cernebantur ignes.* Hist. III, 6: *praedictum ut paucis interfectis ceteros pavore ad mutandam fidem cogerent; et fuere qui se statim dederent.* Agr. 10: *et est ea facies citra Caledoniam,* qua sententia confirmantur quae a Livio et Fabio Rustico tradita esse antea indicata sunt.

Haud raro una illa vox de qua maxime agitur, majore cum vi in enuntiato quod asseverationem affert repetitur, ut Hist. I, 25: *suscepere duo manipulares imperium populi Romani transferendum, et transtulerunt.* I, 72: *apud Galbam Titi Vinii potentia defensus praetextis servatam ab eo filiam et haud dubie servaverat.* Quod vero valde usitatum est: inseruntur mediae sententiae per parenthesin verba aliquot, quae confirmant vel probant hanc sententiam. Germ. 45: *illuc usque (et fama vera) tantum natura.* Hist. IV, 14: *rursus impubes sed forma conspicui (et est plerisque*

procera pueritia) ad stuprum trahebantur. Ann. V, 3: *pauci quis nulla ex honesto spes (et publica mala singulis in occasionem gratiae trahuntur) ut referretur postulavere.* Notiones confirmandi et probandi persaepe inter se misceri, ita ut certo contendi non possit, utram hoc illove loco magis cogitaverit scriptor, clarum est. Quod et hoc ultimo loco factum esse statuerimus. —

§. 2.

Genuina vis particulae *que* ea videtur esse, ut externum quoddam accedere indicet vel incrementum iis quae praecedunt afferat [1]), quamvis ambiguum sit de ea re severius statuere, quum in his pusillis rebus scriptores suum quisque dicendi usum certe sibi conformaverint. Quare inutile videtur ex hac notione omnes in quas abiit particula *que* significationes justa ratione deduçere. Et profecto haud ita magno opus est mentis acumine, ut ex definitione tam infinita quodcumque vis eliciamus. Itaque praestabit singula perlustrare atque ex iis ad certum de Taciti usu judicium pervenire.

Sedem suam habet particula *que*, si sententiam adjungit, semper post primum vocabulum, numquam post secundum vel tertium. Atque accedit ex more poetarum et ad pronomina relativa et praepositiones saepissime, ut omnino apud scriptores ejus aetatis fieri solet. Hoc certo fundamento freti de quattuor locis suffragium ferre possumus.

Ann. VI, 5: *et erat juvenis haud dispari aetate quibusdam Caesaris libertis velut agnitus per dolum qui comitantibus alliciebantur ignari fama nominis et promptis Graecorum animis ad nova et mira, quippe elapsum custodiae pergere ad paternos exercitus Aegyptum aut Syriam invasurum fingebant simul credebantque.* Sic Mediceus. Inde a Bervaldo legebatur: *quibusdam Caesaris libertis velut agnitus; per dolumque comitantibus* cet.; quam conjecturam omnes etiam nostri temporis editores receperunt, excepto uno Haaseo, qui satis ingeniose — nec dubium quin recte — scripsit: *quibusdam Caesaris libertis velut agnitus per dolum;*

1) Hand, II, 467. — Reisig, schol. lat. pag. 412 seq. — Paullo aliter Kruegerus, gr. lat. §. 533, 1.

quis comitantibus cet. [1]). Nam *per dolumque* a consuetudine Tacitina abhorrere probat locus Ann. IV, 40: *perque invidiam tui me quoque incusant;* verba autem *per dolum* accedunt ad ea quae sunt *velut agnitus*, ut vocabulum *velut* clarius explicent, quod quid significet ceteroquin non intelligatur; minime igitur superflua sunt. Deinde sic demum verba quae in extremo ductu leguntur: *fingebant simul credebantque* habent ad quae accurate pertineant; nam vocabulum *fingebant* spectat ad libertos Caesaris, qui juvenem illum per dolum *agnoverunt*, h. e. eum revera Drusum esse palam professi sunt. Contra: *per dolumque comitantibus* mihi quidem perversum tantum sensum praebere videntur.

Ann. XVI, 2: *ac forte quinquennale ludicrum secundo lustro celebrabatur, auaratoribus oratoribusque praecipua materia in laudem principis adsumpta est.* Ex corruptis codicis Med. vestigiis nuper Baiterus confecit: *ab oratoribusque*, ita ut detractis litteris *a* et *u* reliqua per dittographiam ex insequenti verbo *oratoribus* nata esse ei videantur. Quae ratio, quamvis Nipperdejo et Halmio probata, mihi tamen solido fundamento niti non videtur. Nam haud dubie Tacitus non posuisset *ab oratoribusque*, sed *aque oratoribus* [2]); ac si quis putet facillime hanc dubitationem eo tolli quod deleatur *ab*, ita ut *oratoribus* habendus sit dativus subjectivus, quem vocant (id quod Rittero placuit), non intelligitur, quomodo primae litterae *au* ex dittographia exortae sint, quum detractis iis vocabulum, quod prave ex insequenti natum esse vult Baiterus, fere integrum remaneat: *aratoribus*, neque simile mendum ullo apud Tacitum loco inveniatur [3]). Itaque incedit religio, num hoc loco de dittographia omnino sit cogitandum. Nonne videtur ipsum vocabulum *oratoribusque* aliud postulare ad quod accedat? Quod quum et Pichenae et Lipsio videretur, alter corrigebat: *adulatoribus oratoribus-*

---

1) Quae deinde in distinctione enuntiatorum mutavit vir doctissimus, neque necessaria mihi videntur et constructionem obliterant vere Tacitinam.

2) Haec junctura quamquam nunc apud T. non legitur tamen apud poetas usitata est, cf. Ovid. amor. II, 14, 30: *aque sua caesum matre queruntur Ityn*, nihilque impediebat quominus Tacit. et illam reciperet.

3) Heraei stud. crit. pag. 73 seqq.

que, quod Haaseus recepit, alter *ac rhetoribus* (vel *ac vatibus*) *oratoribusque.* Mihi videtur in litteris *au* latere praepositio *a*, quia saepissime in utroque codice Mediceo vocalis *a* cum diphtongo *au* confusa est [1]); ex iis vero quae restant litteris, etiamsi certi nil elici possit tamen verisimilis videtur lectio: *rhetoribus*, qua indicetur, in rhetorum scholis ex hac re desumptas esse declamationum materias. Quod poetae hoc ludicrum carminibus non celebraverunt (quare etiam non nominantur), id Neronis imperio, qui optimus poeta et sibi videbatur et ab aliis haberi volebat, mirum non est, ut jam Nipperdejus adnotavit.

De tertio loco paucioribus absolvamus. Hist. IV, 39: *et ferebatur Antonius Scribonianum Crassum e g r e g i i s m a j o r i b u s q u e et fraterna imagine fulgentem ad capessendam rempublicam hortatus.* Qui hanc lectionem servaverunt, eam haud dubie sic defendi posse censuerunt ut particulae *que* atque *et* sibi responderi putentur, qui usus apud Tacitum raro, invenitur tamen [2]). Sed positio copulae post secundum verbum ferri non potest, quod etiam aliis visum est, Halmio, quum proponat: *egregiis artibus moribusque*, Haaseo qui edidit: *egregiis artibus majoribusque.* Sed uterque aliquid in contextum intrudit quod ab indole hujus loci alienum est; nam neque de artibus neque de moribus hic agitur, sed de nobili et clara Scriboniani domo, qualis quanti semper a Tacito habeatur unusquisque qui scripta ejus legit compertum habet. Itaque cum Doederlino et Walthero faciendum esse puto, qui copulam *que* deleverunt, quam haud infrequenter incuria quadam librariorum superadditam esse etiam aliis locis infra videbimus [3]). Accedit quod sic solum vocabulum *fulgentem* apte ponitur.

Restat quartus locus: Hist. III, 50: *is Silvanum socordem bello et dies rerum verbis terentem specie obsequii regebat, omniaque quae agenda forent quieta cum industria aderat.* Parum probabiliter Doederlinus duobus locis ex Apulejo depromptis constructionem: *adesse a l i q u a m r e m* defendere studet. Praepositio *ad* ante *omnia* jam in editione Spirensi addita erat, nec dubitan-

---

1) Ut ostendit Heraeus pag. 83 seq.

2) cf. cap. IV.

3) cf. cap. IV et V.

dum quin recte. Sed tum *que* falsam sedem obtinet, quod ex vocabulo *quae* fluxisse sumendum est. Scriberemus *adque omnia quae* nisi verendum esset ut hoc parum recte diceretur. Probanda igitur videtur Halmii conjectura: *atque ad omnia quae.* Quae si cui audacior videtur, meminerit, quam saepe suffixum *que* a librariis omissum sit [1]). Ac si cogitamus, in codice illo, ex quo Mediceus alter originem duxerit, scriptum fuisse, *regebat at ad omnia,* facile librarius quidam malam iterationem deprehendere sibi videri poterat, atque intelligitur corruptela. —

Non puto quem miraturum esse, quod tam fidenter de his locis statui. Nam si computamus innumera fere exempla, ubi *que* quod sententiam adnectit primo vocabulo suffigitur, atque parcum quattuor locorum numerum a regula cui utique obtemperatur recedentium, aliquo jure hos me in Taciti consuetudinem mutasse nemo, credo, negabit. Accedit quod in ipso Tacito versamur. Nec enim sum nescius, apud alios scriptores aliam emendandi viam esse ineundam, prout certis scribendi legibus se dederint vel solutum quendam adamarint stilum et huc illuc fluctantem.. Quippe quod causae est, cur hucusque usus Livianus tantopere editores torserit, quum ne talem quidem quae uno tantum loco inveniatur proprietatem dicendi a Livio non profectam esse dijudicare fas sit, quo nullus auctor liberiore atque uberiore modo scripsit. Aliter autem circa Tacitum res se habet, quem haud cunctanter potest contendi inde ab Agricola usque ad extremum annalium caput unam fere eandemque scribendi normam secutum esse.

Accedamus igitur ad singula pertractanda liceatque de iis quae vel nota sunt vel cum usu particulae *et* conveniunt brevibus tantum commemorare, ut spatium nobis remaneat ad graviora fusius expedienda — materiam adhuc satis largam. — Teneamus autem solitum decursum.

1. Continuat particula descriptionem vel narrationem vel orationem in universum, neque exstat discrimen inter *et* atque *que* nisi quod hoc arctius adnectit, illud propriam quandam vim habere membrum posterius plerumque indicat. Qui usus apud

---

1) cf. Ann. III, 14: *pessimo cui* pro: *pessimo cuique*, Ann. IV, 25: *se quis* pro: *se quisque*. Plura apud Heraeum pag. 167 seq.

Tacitum latissime patet. Elucet autem permultis locis necessitatem qua coactus scriptor *que* nec *et* posuerit perspici non posse. Germ. 39: *stato tempore in silvam auguriis patrum et prisca formidine 'sacram omnes ejusdem sanguinis populi legationibus coeunt, caesoque publice homine celebrant barbari ritus horrenda primordia.* 40: *est in insula Oceani castum nemus, dicatumque in eo vehiculum veste contectum.* 46: *idemque venatus viros pariter ac feminas alit.* Ann. I, 13: *fessusque clamore omnium expostulatione singulorum flexit paulatim.* Saepissime verbo quod actionem indicat suffigitur vocula *que*, unde consequitur ab eo verbo sententiam incipere. Ann. I, 11: *quae cuncta sua manu perscripserat Augustus addideratque consilium coercendi intra terminos imperii.* 51: *turbabanturque leves cohortes.* 59: *volitabatque per Cheruscos.* II, 17: *incubueratque sagittariis.* 38: *sensitque Tiberius* alia.

Singulare est, quod ad rem narratam haud raro per *que* accedit cogitatio quaedam scriptoris, atque semper fere in eum modum ut formae cuidam pronominis: *is, ea, id* suffigatur, qua res narrata respicitur. Germ. 36: *Cherusci nimiam ac marcentem diu pacem illacessiti diu nutrierunt, idque jucundius quam tutius fuit.* 39: *si forte prolapsus est attolli et insurgere haud licitum, per humum evolvuntur. eoque omnis superstitio respicit* cet. Hist. IV, 4: *ubi ad Helvidium Priscum praetorem designatum ventum, prompsit sententiam ut honorificam in bonum principem, falsa aberant, et studiis senatus attollebatur. isque praecipuus illi dies magnae offensae initium et magnae gloriae fuit.* 36: *idque praecipuum fuit seditionis alimentum.* 41: *eaque velut censura.* Per se clarum est, rem esse eandem si quis in oratione aliquid narret, deinde quid ipse sentiat subjungat. Sic in oratione Tiberii Ann. III, 6: *idque et sibi et cunctis egregium*, vel in Vologesis, Ann. XV, 2: *videbarque contra vetera fratrum odia et certamina familiae nostrae penates rite composuisse.*

Ac si consideramus, quantopere amet Tacitus narrationem sententia quadam ex sua ipsius cogitatione deprompta concludere, et in clausula saepe *que* poni facile assequimur. Affero pauca. Germ. 42: *eaque Germaniae velut frons est.* Hist. IV, 46: *isque finis illa die.* Ann. III, 42: *isque Treverici tumultus finis.* XIII, 32: *idque illi imperitante Claudio impune, mox ad 'gloriam vertit.*

Porro in ea re particula *que* cum *et* convenit, quod adnectit actionem, quae subinde sequitur, sed diversa est quia eam ad priorem arctius etiam affigit. Ideo invenimus cum vocabulo *statim* conjunctam [1]), Hist. IV, 15: *statimque accitis Frisiis duarum cohortium hiberna inrumpit.* 18: *nudaverat sinistrum cornu Batavorum ala transfugiens statimque in nos versa.* 76: *statimque exsequuntur.* Dein cum *jam,* imprimis si sequitur *quum.* Hist. II, 61: *jamque adsertor Galliarum et deus — Aeduorum pagos trahebat, cum gravissima civitas — fanaticam multitudinem disjecit.* Hist. V, 3: *jamque haud procul exitio totis campis procubuerant, cum grex asinorum agrestium e pastu in rupem nemore opacam concessit* [2]). — III, 46: *jamque castra legionum exscindere parabant, ni Mucianus sextam legionem opposuisset.* —

Ut pauca de singulorum notionum conjunctione subjiciam, apparet duo verba per *que* ad unum atque totum multo magis colligi, quam per *et* vel *atque,* quia nullâ voculâ interpositâ alterum ab altero quam proxime abest. Itaque, quaecumque fuit vis primaria, illud pro certo tenere possumus, quum aspectu oculorum et ipso verborum sono clare sentiatur. Rationem vero quae inter duo verba intercedat patet esse triplicem; nam aut alterum fortius est aut infirmius aut utrumque aequa vi valet. Atque ad primam speciem non est quod afferam exempla; altera frequenter ita se habet, ut posterius membrum exhibeat additamentum quoddam, quod priorem notionem complet et minus grave est, veluti Hist. I, 4: *omnes legiones ducesque,* nam legiones maxime respiciuntur, vel cap. 11: *Aegyptum copiasque quibus coerceretur — equites Romani obtinent.* Quare etiam id per *que* adjungitur, quod ad notionem quandam accedat necesse est: Hist. I, 47: *concedi corpora sepulturae cremarique permisit.* II, 70: *exstructis altaribus caesisque victimis,* sc. in altaribus. 95: *caesae victimae cremataeque.* Ann. II, 20: *legato tradit equitem campumque.* Deinde fit, ut apte cum vocabulo *insuper* consocietur, ut Germ. 34: *ambiuntque immensos insuper lacus.* Agr. 22: *ponendisque insuper castellis.* Ann. I, 4: *serviendum feminae duobusque in-*

---

1) Longe saepius exstat *ac*, cf. §. 3.

2) Verg. Aen. VII, 25: *Jamque rubescebat radiis mare —, cum venti posuere omnisque repente resedit flatus.*

super adulescentibus. Et acerba sic exoritur cavillatio Hist. II, 71: *actaeque insuper Vitellio gratiae consuetudine servitii,* quam persentisces, si ea quae praecedunt inspexeris. — Tertia species optime declaratur locis, quibus conjunguntur notiones contrariae. Subest enim consilium conformandi unam notionem generalem, cujus qui in utramque partem sint fines extremi his duobis verbis denotetur. Hist. II, 2: *per indigenas advenasque.* Germ. 34: *majoribus minoribusque Frisiis.* Agr. 1: *parvis magnisque civitatibus.* Ann. I, 52: *laetitia curaque* alia.

Sed haec omnia tam vulgaria sunt, ut copiosiore de iis disputatione supersedere possim. Unum tantum addiderim. Invenitur apud T. passim inversio illa notionum, quam vocant *ὕστερον πρότερον* grammatici, atque mirum quod fere semper per particulam *que* instituitur. Hist. I, 51: *initia causasque,* quod adhuc legitur Hist. II, 1. IV, 48. Ann. IV, 1; sed Hist. II, 52: *causam et initium.* Hist. III, 37: *errorem imprudentiamque exercituum culpantes.* V, 4: *errorem sitimque depulerant.* V, 6: *idem amnem Jordanem alit funditque* [1]).

2. In usu adversativo voculae *et* ac *que* non multum inter se differunt. Si praecedit sententia negativa quae deinde alia sententia affirmative continuatur, particula copulativa utique vulgaris est. Exempla sunt Hist. I, 5. Ann. XI, 38. XII, 25 al. Frequenter etiam notiones contrariae conjunguntur: Hist. II, 69: *exitiabile id reipublicae ingratum militi, cui eadem munia inter paucos periculaque ac labor crebrius redibant* (dagegen aber). IV, 19: *Flavus omisit inceptum aliisque litteris Gallum monuit ne terreret abeuntes.* Aliter III, 23: *donec adulta nocte luna surgens ostenderet acies falleretque,* quod explices: ostenderet quidem sed tamen falleret. — At longius procedit T., quum etiam tum copula utatur, quum prius enuntiatum non est negativum, dummodo alterum protinus sequatur. Ann. XIII, 15: *primum venenum ab ipsis educatoribus accepit, tramisitque exsoluta alvo parum validum.* Ex priore sententia id cui posterior opponatur eliciatur oportet. Nam si de veneno dicitur, statim cogitamus de mortifera ejus vi, ac si deinde sequitur, id exitiosum haurienti

---

1) Ann. I. 65: *Quinctilium Varum sanguine oblitum et paludibus emersum cernere et audire visus est.*

non fuisse, hoc enuntiatum quodammodo opponitur iis quae in mente habuimus, unde fit ut particula adversativa utamur. Ac ne Romani quidem in universum hanc rationem aversati sunt; hic vero simpliciter narratur alterum post alterum incidisse.

3. Quod §. 1 vidimus, interdum duo vocabula quae ad alia duo per disjunctivam particulam composita pertineant, ita ut singula utriusque paris membra sibi respondeant, vocula *et* conjungi, id de conjunctione *que* pariter valet. Hist. II, 92: *Vitellium subitis offensis aut intempestivis blanditiis mutabilem contemnebant metuebantque,* singula membra vides sibi per chiasmum respondere. Sed etiam si non praecedat partic. disjunctiva, invenitur *que*, ubi *aut*, *vel*, *ve* exspectamus. Hist. II, 8: *sub idem tempus Achaia atque Asia falso exterritae velut Nero adventaret, vario super exitu ejus rumore eoque pluribus vivere eum fingentibus credentibusque,* i. e. aliis fingentibus, aliis credentibus. III, 29: *postremo ballistam in subeuntes propulere, quae ut ad praesens disjecit obruitque quos inciderat, ita* cet. Ann. VI, 5: *fingebant simul credebantque* (cf. initium hujus §. 1) [1]. — Jam vero haec me admonent, ut digrediar ad locum tractandum, cui quum jam dudum aliquid corruptelae inesse consentirent homines docti, tamen nuper patronus satis fortis exstitit.

Constat enuntiata *bis terque* atque *bis terve* (et quae sunt similia) sic inter se differre, ut illud indicet saepe aliquid factum esse, hoc raro, qua de re ante alios exposuit Bentlejus ad Hor. epod. V, 33. Hanc secuti legem in Agr. cap. 12, ubi legitur: *nec aliud adversus validissimas gentes pro nobis utilius, quam quod in commune non consulunt. Rarus duabus tribusque civitatibus ad propulsandum commune periculum conventus: ita singuli pugnant, universi vincuntur,* inde a Pichena fere omnes editores scripserunt *duabus tribusve,* quia hic ageretur de paucissimis tantum civitatibus. Unus Wexius lectionem *tribusque* defendere studuit [2]) doctissime sane et argumentis undique gentium conquisitis — quae jam brevibus examinare liceat.

---

1) Verg. Aen. II, 36 seq.: *aut pelago Danaum insidias suspectaque dona Praecipitare jubent subjectisque urere flammis*, testatur Charisius (gr. lat. ed. Keil, III, 115). Vide etiam Wagneri quaestt. Verg. pag. 576, ejusque ad Georg. I, 419 adnot.

2) prolegg. ad Agric. pag. 28 seqq.

Omnia quae ille disputavit his fere reddi possunt. Solere quidem Latinos quum saepe aliquid factum esse indicare vellent id exprimere per formulam *duo tresque* [1]), inde vero non consequi, ubi *pauci* vel *nonnumquam* dicere vellet scriptor, utique *ve* particulam necessariam esse. Sed rem sic se habere ut scriptores si numerum aut non possent accurate indicare, quia nescirent, aut non vellent definire, quia nihil interesset, tum dicerent: *duo tresve;* at formulam *duo tresque* significare duas ejusdem rei species (nempe praeter illam quam antea concessit significationem), quarum ad alteram prior ad alteram alter numerus referendus esset. Ergo et loco illo ex Agricola desumpto *que* optimo jure retineri, quum inesset sensus: *rarus est duarum rarus trium civitatum conventus.*

Haec explicatio formulae *duo tresque* primo obtutu non placet quia biceps est. Nam duae illae significationes nihil commune inter se habent. Intruditur igitur in sermonem Latinum obscuritas haud parva, quum ubicumque hoc enuntiatum legimus in ambiguo simus, quonam modo intelligatur. Significationem vero longe usitatissimam eam esse quae vulgo feratur, haud dubie Wexius omnibus largietur. Sed is quoque quem statuit esse sensum formulae *duo tresve* non ex omni parte sufficit. Mihi ex exemplis undique congestis id clare apparere videbatur, sic semper indicari infinitum quidem, *parcissimum* tamen numerum, ita ut haud raro vocabulum *tres* summum ponat numerum, ultra quem excedendum non sit, quod etiam ipsis exemplis, quae Wexius affert in adnot. pag. 30 comprobatur. Ceterum de vi illa disjunctiva videamus, quam W. particulae *que* tribuit. Atque sic eam aliquando inveniri, ipse supra exemplis ostendi. Sed ibi non de numeris agitur. Jam si W. nititur duobus locis quorum alter est Liv. IX, 18: *denos vicenosque dies quidam dictaturam, nemo plus quam annum consulatum gessit*, alter: Corn. Nep. Attic. 18: *ita ut sub singulorum imaginibus facta magistratusque eorum non amplius quaternis quinisque versibus descripserit,* hos facillime ad ipsum meum beneficium convertam. Namque hercule vis distributiva hic non posita est in copula *que,* sed

1) Hanc unam formulam pro exemplo adhibeo, atque quae de ea disputantur de omnibus intelligi velim quae similes sunt.

in ipsis numeris distributivis. Facile igitur videas, quid inde colligendum sit. Latini, quum nonnumquam ita usurparent *que*, ut conjungeret duo vocabula, quorum utrumque ad diversam vel in iis quae sequuntur vel in prioribus verbis pertineret notionem, si in eundem modum duos numeros connectebant semper numeris distributivis utebantur, quum quia omnino consentaneum erat, tum ne ambiguitas exoriretur. Adeo certus se conformaverat usus in numeris particula *que* conjungendis.

Sed haec quum magis in universum disputata sint, ad comprobandam lectionem de qua res est fortasse sufficere non videntur. Itaque ad id recurro, unde in ejusmodi rebus ultimum petendum est subsidium, consuetudinem dico uniuscujusque scriptoris. Ea vero qualis sit apud Tacitum ex exemplis quae sequuntur prodibit. Atque invenitur quidem enuntiatum *duo tresque* solo illo loco ex Agr. deprompto; at alia praesto sunt et simillima. Germ. 6: *vix uni alterive cassis aut galea.* Hist. I, 83: *unus alterve perditus ac temulentus (neque enim plures consternatione proxima insanisse crediderim) centurionis ac tribuni sanguine manus imbuet* cet. Ann. III, 47: *neque decorum principibus si una alterave civitas turbet omissam urbem unde in omnia regimen.* IV, 17: *neque aliud gliscentis discordiae remedium, quam si unus alterve maxime prompti subverterentur.* Accedant tria exempla, ubi pro *ve* positum est *aut*, quae particulae a Tacito saepius commutantur; Agr. 15: *neve proelii unius aut alterius eventu pavescerent.* 40: *uno aut altero amicorum comitatus.* Ann. III, 34: *porro ob unius aut alterius imbecillum animum male eripi maritis consortia rerum secundarum adversarumque.* Haec exempla omnia, nullo excepto, exiguum numerum clare indicant. Jam sequitur pars contraria. Hist. II, 75: *quid enim profuturas cohortes alasque, si unus alterque praesenti*[1] *facinori paratum ex diverso praemium petat;* hoc loco multos intelligi quum ex tota sententia appareat, tum ex verbis *praesenti facinori* colligere potest; nam *praesens facinus* est facinus sine ulla haesitatione prima quaque

---

1) Hic usus verbi *praesens* est poeticus quidam et ex Vergilio desumptus ut videtur. Georg. II, 126: *Media fert tristis sucos tardumque saporem Felicis mali quo non praesentius ullum.*

occasione oblata patratum (cf. Orellium). Ceterum unicus est[1]). Sed quum ex parte adversa septem locis confirmetur, Tacitum si de exigua copia agatur semper ponere particulam disjunctivam, etiam illo loco e quo tota quaestio pendet pro *tribusque* scribendum est *tribusve.* Addo — nec id parvi momenti est — sic solum exire sensum ad rem accommodatum (selten vereinigen sich zwei oder höchstens drei Staaten); Wexium autem si sequamur, id quod maxime a legentibus exspectetur scriptorem non dicere; nam si rarus duarum et trium civitatum fuit conventus, inde non consequitur, tales conventus omnino rarissimos fuisse, sed nihil obstat quin cogitemus, quattuor vel quinque civitates convenisse. —

At fortasse de hac re tam multa verba non fecissem, nisi in mente haberem de alio loco agere adhuc intacto. Is legitur Ann. XIII, 46: *his atque talibus irritamentis non longa cunctatio interponitur, sed accepto aditu Poppaea primum per blandimenta et artes valescere, imparem cupidini se et forma Neronis captum simulans; mox acri jam principis amore ad superbiam vertens, si ultra unam alteramque noctem attineretur, nuptam esse se dictitans, nec posse matrimonium amittere devinctam Othoni per id genus vitae quod nemo adaequaret.* Qua de re agatur ex loco ipso intelligitur, quem ad hunc finem totum adscripsi. Quaeritur de verbis *si ultra unam alteramque noctem attineretur.* Apud unum Doederlinum (nam ceteri editores, in quantum ego eos inspexi, tacent) legitur, his verbis respici trinoctium. Is igitur verba *ultra unam alteramque noctem* ita intellexit, ut significent: plus quam duas noctes, h. e. tres noctes, atque totam sententiam sic videtur accepisse: Neronem Poppaeam apud se retinere voluisse[2]) per tres noctes, ne in manum Othonis, cui *usu* nupserat, veniret. Sed facere non possum quin admodum mira mihi haec videan-

1) Nam prorsus diversum est quod legimus Ann. XIII, 35: *primum alterumque delictum venia prosequebatur.*

2) Ne fallamur verbo *attineretur*, quum antea dictum sit, Neronem ad Poppaeam venisse, Suetonius respiciendus est (Oth. 3), ex quo videmus, Othonem aegre tulisse, si missi essent, qui Poppaeam ad Neronem ducerent. Saepe T. verbo *attinere* — ceteroquin raro — utitur pro *retinere*, cf. Ann. I, 35: *ferrum deferebat in pectus ni proximi prensam dextram vi adtinuissent*, et Boetticheri lex. Tacit. s. v. —

tur. Primum enim omnium de jure trinoctii hoc loco ne cogitare quidem licet, quippe quod jam Ciceronis aetate prope evanuisse certo concludatur [1]), ut taceam de hoc Neronis tempore moribus solutis ac lascivis insignissimo. Ac profecto quam perverse addita essent illa: *nuptam esse se dictitans, nec posse matrimonium amittere* tamquam diduceretur matrimonium si uxor usurpatione caveret, ne in manum mariti veniret! Deinde vero etiam ex legibus sermonis Tacitini illicita est haec explicatio. Si illud, quod putat Doederlinus, exprimere voluit scriptor, cur non scripsit *per tres noctes*? Ut exstant verba non aliter videntur explicanda esse, nisi *per plurimas noctes* [2]). — Sed jam rei cardinem tetigimus. Num hoc videtur ex vi totius sententiae dictum esse? Minime putaverim. Nam primo tantum tempore Poppaea se cupidine et forma Neronis captam esse simulaverat; postquam vero amor principis acrius exarsit, superbe se gerebat et *parum* obnoxia libidinibus ejus. Si cupiebat ut paullo longius secum esset tamquam delicata quaevis, qualis erat Acte, tum jactabat se esse nuptam et Othoni viro magnifico et summa fortuna digno, cui nollet invisa fieri eo ut nimis Neroni se dederet. Itaque apparet verba: *unam alteramque* esse inepta. Accedit quod absurde dictum est: *ultra unam alteramque noctem*, quum infinita quaedam multitudo jam sine praepositione indicetur, quam significasse Tacitus satis habere potuit. Ergo scribendum est: unam altera*ve* noctem [3]). —

4. Si aliquid subinde sequitur, id aut solo externo aut externo et interiore aut denique solo interiore modo fieri potest. De prima specie, ad quam referendi sunt loci quales Hist. I, 56: *impetu militum abrepti vinctique* vel, II, 38: *potentiae cupido cum magnitudine imperii adolevit erupitque*, mentio jam injecta est.

---

1) Cic. pro Flacco 34. — Rossbach, Untersuchungen über die röm. Ehe, pag. 43 seqq.

2) Valde comprobatur hoc nostrum judicium etiam Hist. V, 6: *sed unum atque alterum lacum integer perfluit, tertio retinetur.* Germ. 11: *alter et tertius dies cunctatione absumitur.*

3) Si Jahnius ad Hor. sat. II, 3, 157 dicit, multis locis utramque particulam adhiberi posse, id de numeris certe non valet. Quod ne voluit quidem vir doctissimus ut ex ipso loco patet, ad quem haec adnotavit. — De alio loco, quo in codice *que* pro *ve* male scriptum exstat, dicemus cap. VI.

Sed saepe acute discerni non possunt. Quod ex ipsis locis optime elucebit, Ann. XI, 33: *in eodem gestamine sedem poscit assumiturque;* sic enim lego ex conjectura Waltheri. Mediceus praebet: *assumitque*, cod. Guelferbytanus *sumitque*, quod receperunt plurimi editorum recentiorum. Utraque lectio ad sensum accommodata est, sed Waltheri valde arridet ob locum Plinianum, quem ille attulit: Epp. III, 1: *vehiculum ascendit assumitque uxorem.* Et quod etiam majoris momenti est, quum difficilius sit intellectu quomodo ex *assumitque* corruptum sit *sumitque,* facillime est videre, librarium quendam compendio quod est ˜ non intellecto (nam sic saepe indicatur in fine vocabuli syllaba *ur*) *assumitque* male scripsisse [1]). — Hist. I, 85: *oratio — et severitatis modus — grate accepta, compositique ad praesens, qui coerceri non poterant.* II, 4: *Sostratus ubi laeta et congruentia exta magnisque consultis adnuere deam videt* cet. — Germ. 6: *nec aut sacris adesse aut concilium inire ignominioso fas, multique superstites bellorum infamiam laqueo finierunt, que* valet *unde factum est ut.* Ann. II, 20: *sensit dux imparem comminus pugnam, remotisque paulum legionibus funditores libritoresque excutere tela jubet;* intellige: et de ea caussa. Inter multos maxime memorabilis est locus Hist. III, 25: *factum esse scelus loquuntur faciuntque,* ex quo apparet, quanta arte Tacitus sua ipsius dicendi proprietate ad quaecunque efficienda utatur. Acerbe enim est ironica sententia, si verbum *faciuntque* sumimus ut consequens ex iis quae praecedunt. Sed potest etiam sic accipi, ut posteriore tantum tempore incidisse dicatur. Denique tamquam e contrario dictum explicare licet. Verum ipsa hac ambiguitate datur lectori, ut cogitando quodcunque placet verbis subdat, ita ut ea quae scripta sunt non tantum otiose recipiat sed quas auctor vias cogitandi monstravit ipse ingressus sensum qui subesse videtur ad finem perducat atque excolat.

Hist. III, 41: *ut — Gallias et exercitus et Germaniae gentes novumque bellum cieret.* —

5. Meminerit velim lector, jam §. 1 nos verbo tetigisse, aliquando etiam apponi epexegesin per particulam *que.* Ad quem usum nunc dabo plura exempla. Hist. II, 57: *quod palam ab-*

1) cf. Her. stud. crit. pag. 154 seqq.

nuerat inter secreta convivii largitur, honoravitque Asiaticum anulis. IV, 47: *magna documenta instabilis fortunae, summaque et ima miscentis.* Ann. I, 43: *eluant hanc maculam irasque civiles in exitium hostibus vertant;* ad locum penitus intelligendum conferatur oportet cap. 49: *piaculum furoris.* II, 14: *nox eadem laetam Germanico quietem tulit, viditque se operatum* cet. XII, 14: *rem in casum dare proelioque experiri statuit.* Cf. Ann. XI, 9: *congressique primo cunctanter.* Ann. XII, 15. XIV, 51 init. — Sed explicatio nonnumquam ita accipi potest, ut caussam afferat. Hist. IV, 58: *nam mihi exitium parari libens audio, mortemque in tot malis ut finem miseriarum exspecto.* Atque dignissimus qui commemoretur est locus Ann. I, 11: *plus in oratione tali dignitatis quam fidei erat, Tiberioque etiam in rebus quas non occuleret — suspensa semper et obscura verba* cet. — Ad singulas notiones accedit epexegesis Hist. I, 89: *fuere qui proficiscenti Othoni moras religionemque nondum conditorum ancilium afferrent.* III, 67: *obruebatur animus miseratione curaque, ne pertinacibus armis minus placabilem victorem relinqueret conjugi ac liberis.* Ann. II, 88: *reperio apud scriptores senatoresque eorundem temporum* cet. —

Denique huc pertinent notae illae adjectivorum juncturae, quorum copiam haud exiguam jam in *et* contuli, quales sunt: Hist. II, 76: *post multos secretosque sermones.* III, 26: *novum immensumque opus.* V, 4: *novos ritus contrariosque.* 16: *laeva ac propiora fluminis.* Ann. I, 20: *antiquam duramque militiam.* XI, 24: *continua inde ac fida pax.* — Sunt etiam qui tempore addito sic coaluerint, ut apud omnes fere scriptores conjuncta inveniantur, quorum ubertatem exhibet Rothius de synon. p. 7. Variare copulam prout conducat, consentaneum est.

§. 3.

Reliquum est, ut de tertia commentemur particula quae est *atque.* — Conflatam eam esse non ex adversativa particula *at* et *que* [1]), sed ex praepositione *ad* et *que,* jure mihi videtur contendere Handius (Turs. I, 452 seq.), quamquam hae duae rationes in universum eodem redeunt, quum nihil faciant ad genuinum sensum accuratius pernoscendum. Constat hanc parti-

1) Quod voluit Reisigius, schol. lat. pag. 414.

culam id membrum quod adjungat magis extollere, sic fere ut nos cum tonosi quadam dicimus *und;* quae notio potest exorta esse et ex compositione vocularum *ad* et *que,* et ex altera quam vocavi. Verum ut dixi, prior magis placet. Habere autem revera hanc conjunctionem majorem vim, jam ex forma ipsa obiter inspecta comparet, quippe quae sit disyllaba eoque plus gravitatis arripiat. Quod cognosse contenti sumus.

Nam ad investigandum singulorum scriptorum usum, explicationes illae subtilissimae [1]) parum conferunt, quia ex maxima parte suas quisque leges scribendi hac in re secutus est. Atque ex harum diligentissima pervestigatione hauriendum est judicium unice rectum. Namque profecto non sic nascitur lingua, ut quas unus vel pauci leges ex acuta cogitandi ratione ductas antea excogitaverint, deinde multitudo sequatur, sed provenit sicut arbos, hic laete ac fortiter diffundens ramos fronde densissimos, illic surculis contenta lentis ac parce virentibus, quin etiam aliquot locis ne folia quidem ostendens. Quare res est valde dubia si quis dicit, hanc vel illam notionem in hoc illove vocabulo inesse debere, quia ratio cogitandi id postulet. Nam ut in tota rerum natura, ita etiam in linguarum exortu et conformatione valent leges ab hominibus, opinor, non ex omni parte perspectae. —

Hominum doctorum, qui de discrimine formarum *atque* et *ac* disputaverunt, numerum fere innumerum conspicias apud Handium (I, 454 seqq.). Nunc, puto, utique constat, formam *ac* non poni ante vocales et litteram *h*. Certe apud Tac. haec regula valet. Addo hunc scriptorem voculam *atque* praeter eos locos ubi necessaria est raro usurpare; credo quia *ac* fortiorem acutioremque sonum praebet; *atque* ante vocabula ab consonanti littera incipientia ad tricies invenitur [2]). Minime autem cum

1) Qualem instituit Handius I, pag. 458, quum dicat Latinos interiorem nexum particulâ *atque* designare. Nimirum quoniam de tribus tantum rationibus cogitari potest, quarum alia externum, alia interiorem, alia nullum peculiarem nexum indicat —, particula autem *que* externum nexum *et* in universum tantum conjunctionem significare videtur, nihil restat, quam ut *atque* ad interiorem exprimendum nexum trahatur. Quae quamvis rectissime expedita sint, tamen ex usu Latinorum nescio an non probari dilucide possint.

2) Si quis locos accuratius inspicere cupit, hi fere sunt: Agr. 16 (Agr. 18

certis quibusdam verbis semper se conjungit, sed ponitur *ac* promiscue, si quidem codicibus fides habenda est. Unum exemplum attulisse satis habeo. Ann. I, 5; II, 38 legimus: *haec atque talia;* contra: haec ac talia: Hist. I, 16; III, 3. — *ac* ante omnes litteras consonantes sedem habere potest; saepe exstat ante vocabula, quae a littera *t* incipiunt, quia *et* ingratum sonum efficeret [1]). Sequente littera *c* legimus *ac* Ann. XII, 47: *ac compede,* sequente *g* XII, 64: *ac Gnaei* [2]). Littera *j* vocalis vim non habet: Hist. V, 2: *Hierosolyma ac Judaea.* —

1. Commentatio de vi particulae *atque* initium repetit ab ea significatione, quam genuinam esse aliquo jure dicere possumus, eam intelligo quod fortiore modo membrum appositum acuit atque extollit. Inde facillime gradationem nasci vix est quod commemoremus [3]); dignior jam quae nominetur est vis demonstrativa [4]), ita ut adjungat pariter et spectet ad ea quae sequuntur. Unde explicatur, cur tam frequenter inveniatur ante pronomina demonstrativa. Ann. II, 67: *atque illic*, III, 16: *atque illo.* 53: *atque illa,* videturque hic usus ex parte quadam tueri locum vario modo vexatum, de quo vide in *etiam* [5]). Sed mirum est, quod rarissime cum pronomine *is, ea, id* se conjungit, qua vice plerumque fungi particulam *que* supra vidimus. Ann. XIV, 10: *atque eum.*

Ut notissimum est pergitur in oratione per *atque* ad novum

---

atque a Wexio in contextum illatum est). Germ. 30. 39. 45. Hist. V, 12. Ann. I, 5. 9. 39. II, 38, 40. 51. 52. 64. III, 13, 29. 31 (bis). 60. 62. 73. 76. IV, 10. VI, 11. 12. 55. XIII, 31. In ultimis annalium libris aliquot insunt, quos non adnotavi, quia prosus eodem modo se habent, ac plures eorum qui adscripti sunt.

1) Invenitur tamen Ann. XI, 22: *et tunc* Ann. XV, 62, Hist. IV, 76: *et tamen*, paucisque aliis locis.

2) Nipp. ad Ann. I, 8. Ex aliis scriptoribus congessit exempla Handius I, 457 seq.

3) Conjungitur de ea caussa cum *etiam* et *ipse*, ut notum est. Agr. 6: *atque ipsum etiam tribunatus annum.* 13: *ac longa oblivio Brittanniae etiam in pace.* Germ. 45: *inter vada atque in ipso littore legunt.* Ann. II, 39: *atque ipse adire municipia obscuro diei.*

4) Raro *et* talem vim continet; verum huc vocandus est locus Hist. II, 68: *consularis et quondam ducis sui.*

5) cf. cap. V.

quoddam, quod posteriore tempore incidit, quae est caussa, cur frequentissime conjungatur *atque* cum particulis, quae tempus designant. Vide exempla. Agr. 14: *ac subinde.* Germ. 42: *ac deinde* Hist. I, 51: *ac tum.* 58: *ac mox.* 68: *ac statim.* 72: *ac postremo.* II, 49: *ac postea.* (III, 78: *ac postera die*). IV, 70. 79. 84. Ann. II, 28: *atque interim.* Hist. V, 10. Ann. XIII, 29: *ac saepe.* Ann. I, 81: *ac deinceps.* III, 2: *atque ubi.* 18: *ac tum demum.* 74: *ac tunc.* VI, 49: *ac primo.* XIII, 44: *ac postquam.* XVI, 17: *ac nuper.* (III, 31. IV, 42. 52: *ac forte*) [1]). Sed per se quoque particula vim habet: *et deinde, et mox.* Germ. 45: *quae vicini solis radiis expressa atque liquentia in proximum mare labuntur, ac vi tempestatum in adversa litora exundant.* Agr. 31: *nata servituti mancipia semel veneunt atque ultro a dominis aluntur.* Germ. 33: *pulsis Bructeris ac penitus excisis.* Et singulae notiones in hunc modum conjunguntur. Ann. III, 37: *auctore principe ac decreto senatus.* Hist. IV, 1: *scrutari ac protrahere abditos.* Possunt autem ex hac dicendi ratione deduci aliae tres. Primum adnectit *atque* sententiam, quae actionem ante indicatam continuat et ad finem perducit. Hist. II, 64: *devertere Interamnium atque ibi interfici jussit.* 68: *erupere legionarii in perniciem auxiliorum ac duae cohortes interfectae.* Deinde instituit aliquid quod subito ingruit. Hist. III, 36: *atque illum desidem ac marcentem proditio Lucilii Bassi — perculit* [2]). Tum apponit id quod confestim sequitur, ut saepe vertere possimus *und sofort* aut *sofort.* Hist. III, 17: *atque illi consternantur* [3]).

---

1) Rarius *et.* Hist. IV, 39: *et mox.* V, 20: *et interim.* — Hac oblata occasione verbo monuerim, etiam ante *si* poni plerumque *ac;* opinor, ne ambiguitas quaedam nasceretur (etsi). cf. Ann. VI, 49. Hist. I, 20. II, 5. Itaque etiam Germ. 35 pro *et si res poscat* recte scribitur *ac si*, praesertim quum in hac formula utique usitatum sit *ac*; vide Orell. Ceterum *et si* legitur Ann. XIII, 37. XIV, 3. —

2) Verg. Aen. VII, 28: *resedit flatus et in lento luctantur marmore tonsae. atque hic Aeneas ingentem ex aequore lucum prospicit.* Ecl. VII, 7: *vir gregis ipse caper deerraverat, atque ego Daphnim aspicio.* Cf. insuper Ladewigii adnotationem ad h. l.

3) Sic etiam intelligenda sunt, quae Gellius (noct. Att. X, 29) dicit de particula *atque:* praeterea pro alio quoque adverbio dicitur, id est *statim*, affertque

2. E notione demonstrativa levi opera expeditur adversativa. Nam omnino vocula *atque* notiones magis distinet quam connectit. Ergo legitur multifariam ante *tamen*[1]; nec non ante *rursus*[2]). Fortiter sententiam opponit Hist. I, 40: *milites Romani, quasi Vologesen aut Pacorum avito Arsacidarum solio depulsuri, a c n o n imperatorem suum inermem et senem trucidare pergerent*[3]). Ann. XII, 20: *modicam victoribus laudem ac multum infamiae si pellerentur.* Item si posterior priorem sententiam insequitur, etiam si haec non sit negativa. Hist. II, 78: *cupressus arbor — repente prociderat, ac postera die eodem vestigio resurgens procera et latior virebat.* IV, 81: *Vespasianus primo inridere; atque illis instantibus modo famam vanitatis metuere, modo — in spem induci.* Vim coercentem exhibet hisce locis: Hist. II, 29: *ille utili moderatione non supplicium cujusquam poposcit; ac ne dissimulans suspectior foret, paucos incusavit.* Hist. III, 59: *atque ipse Vitellius nihil in Domitianum atrox parabat.* —

Jam res ipsa hortari videtur, ut de loco mentionem injiciam, quem transpositione sententiarum corrigendum esse judicaverim. Et est quidem haec emendandi ratio ex iis, quibus temere abusi sunt nonnulli philologi, ita ut si quis nunc talem emendationem in medium profert, suspiciose tantum audiatur. Sed negari nequit in codicibus haud raro sententiarum et singulorum verborum ordinem incuria librariorum turbatum esse, ac, dummodo caute hac in re agatur, non ita pauca antea ad intelligendum difficilia vel prorsus inextricabilia sic facili negotio in integrum posse restitui[4]). Neque desunt apud ipsum Taci-

---

locum Vergilianum: *si bracchia forte remisit Atque illum in praeceps prono rapit alveus amni* (Georg. I, 202). Nam ipsa enuntiatorum compositione quasi depingitur, posterius continuo insequi, quippe quum ne pusilla quidem vocula interponatur. — Longe de hac re exponit Handius I, 480 seq.

1) cf. cap. VII, 3.

2) Germ. 37. Hist. I, 46. III, 30. Sed *aut rursus.* Hist. I, 1. III, 52. —

3) Docte sed nimis quaesite de usu vocularum *ac non* disputat Handius I, 473, quum inter alia dicat: in *ac non* inest aliquod consequutionis vel conclusionis indicium; nos dicimus: und so nicht, und sonach nicht. — Quod videas num ad nostrum locum quadret. Caute Madv. gr. lat. 458a, adn. 1.

4) Cujus rei luculentissimum exemplum nuper dedit Haaseus (miscell. philol. III, 5), qui in suavissimo illo Catulli carmine, quod in fratrem mortuum panxit,

tum loci qui jam transponendo temptati sunt [1]). Ut afferam Ann. XIV, 55 s. f., ubi varias restituendi vias ingressi sunt Spengelius [2]), Haaseus, sed postremi judicium maxime placet. Porro Ann. I, 61, ubi leguntur in codice haec: *adjacebant fragmina telorum equorumque artus simul truncis arborum antefixa ora, lucis propinquis barbarae arae, apud quas tribunos ac primorum ordinum centuriones mactaverant*, Haaseus verba *simul — ora* post *mactaverant* apponit, quae mutatio haud parvam veritatis speciem prae se fert. Quid ego multa? Hist. III, 13 exstant haec: *Caecina, defectione classis volgata, primores centurionum — in principia vocat ibi Vespasiani virtutem viresque partium extollit: transfugisse classem, in arto commeatum, adversas Gallias Hispaniasque, nihil in urbe fidum; atque omnia de Vitellio in deterius.* Ut nunc sententiae se excipiunt, unusquisque exspectat, ut post verbum *extollit* reapse insequantur laudes Vespasiani ejusque roboris. Sed non insequuntur. Qua in re cum jure haererent Doederlinus, Orellius, in id inciderunt ut semicolo post *classem* posito duo haec verba ad priorem sententiam traherent; exiit igitur sensus, Caecinam Vespasiani virtutem viresque partium extulisse eo ut dixisset, classem transfugisse. Sed ut omnia, quae contra hanc distinctionem proferri possint, missa faciam — contra ipsas leges linguae latinae peccat. Nam si dicimus, *trans*fugere aliquem, tum cogitamus nos in eo loco versari unde fugiat ille; confirmaturque haec significatio omnibus apud Tacitum locis. Inspicias modo Ann. II, 46: *id signum perculsi fuit; et transfugiis paullatim nudatus in Marcomannos concessit* [3]). — Jam quum non sit credibile sententiam quandam, qua Vespasianus a Caecina praedicaretur, excidisse; quum pari jure contendi possit, Tacitum ea statim apposuisse in quibus ad movendos centurionum animos

---

post versum sextum., carminis 65 versus 9—14 inseruit. Jam omnia tam egregie cohaerent tamque laete profluunt, ut quin haec transpositio rectissima sit ne ulla quidem cooriri possit dubitatio.

1) Etiamsi paullo audacius Doederlinus de multis locis hunc in modum egerit, quos in unum congestos videas in praefat. vol. I, ed. Tacit. pag. XVI, aliisque locis ibi nominatis.

2) In libello quo Fr. Thierschio gratulatur, pag. 18. Monach. 1852.

3) Contrariam significationem praebet, ut notum est, vox *perfuga*. Cf. Ann. II, 12.

maxima inesset vis; verba autem: *transfugisse* — *fidum* et quo pertineant difficiliter intelligatur, et si tandem intelligitur parum ea gravitatis habeant, equidem censeo, verba, *atque* — *omnia* post *extollit* inserenda esse. Unde efficitur primum, ut omnia dilucide procedant, deinde ut duae sententiae contrariae particula *atque* sibi opponantur prorsus ex consuetudine Tacitina. — Ceterum ne meo beneficio de usu quodam tacuisse insimuler, qui contra hoc judicium proferri possit, ipse fateor aliquando *atque* adhiberi, ut in ordine membrorum, quae ἀσυνδέτως se insequantur, postremum membrum adnectat significatione *et omnino*. Sic Hist. II, 27: *coercitos a se quartadecumanos, ablatam Neroni Italiam, atque omnem belli fortunam in ipsorum manu sitam jactantes.* Verum non contra hunc usum in universum disputavi, sed compositionem impugnavi enuntiatorum. Ex sermonis legibus et hic et ille usus particulae probari potest.

3. Disjunctivam quandam vim particulam *atque* exhibere posse ex ipsa hujus voculae natura facile colligas. Et invenitur apud T. saepissime si distinguuntur vel separantur duae notiones. Agr. 3: *principatum ac libertatem (res olim dissociabiles).* — 6: *inter quaesturam ac tribunatum.* 24: *inter Brittanniam atque Hispaniam sita.* Hist. II, 14: *quantum inter colles ac litus aequi loci.* Germ. 20: *dominum ac servum nullis educationis deliciis dignoscas.* Agr. 12: *ut finem atque initium lucis exiguo discrimine internoscas.* Cf. Hist. II, 79. III, 42 [1]). Unde sequitur etiam notiones contrarias optime per *atque* conjungi, quae ad communem rem pertineant: Hist. II, 5: *natura atque arte.* Nec raro accedit particula ad significationem quam praebent voculae: *et* — *et*, vel *quum* — *tum*, ut recte monet Handius I, 460 seq.: Agr. 3: *nec tamen pigebit memoriam prioris servitutis ac testimonium praesentium bonorum composuisse.*

4. Consecutionem quam interiorem vocaverim hisce locis cognoscas. Ann. I, 12: *unum esse corpus reipublicae atque unius animo regendum.* I, 35: *saevum id malique moris etiam furentibus*

---

1) Sed patet et hic esse penes scriptorem, quam particulam velit usurpare. Hist. I, 89: *inter legiones Galliasque.* II, 2: *inter spem metumque.* Interdum ponitur *que* varietatis caussa: Germ. 46: *quicquid inter Peucinos Fennosque silvarum ac montium erigitur.* Ubique etiam *et* locum habere, non est quod moneam. Hist. I, 19. 64.

visum; ac spatium fuit quo Caesar in tabernaculum raperetur. XIV, 12: *Thrasea Paetus silentio vel brevi adsensu priores adulationes transmittere solitus exiit tum senatu, ac sibi causam periculi fecit.* — Ann. I, 53: *(Juliam) inopia ac tabe longa peremit;* tabes ex inopia nata est. V, 3: *pavore ac silentio* h. e.: pavore et propter pavorem silentio. Eadem ratio intercedit inter verba: *spatium ac moras.* Hist. II, 37, quae cave ne habeas pro synonymis. XII, 51: *Zenobiam — placido illuvie spicantem ac vitae manifestam;* intellige: atque, ut inde apparebat. Hist. II, 22: *ingenti pondere ac fragore provolvunt;* fragor eo ipso nascebatur, quod molares ponderosi erant. Ex quo patet hos ablativos non ex aequo dictos esse, verum brevitatis studio commotum scriptorem eos conjunxisse [1]).

5. Denique adjungit *atque* notionem quae accuratius explicat, imprimis si gradatio quaedam efficitur [2]), ut consentaneum est. Agr. 4: *Massiliam — locum graeca comitate et provinciali parsimonia mixtum ac bene compositum,* alterum membrum declarat, qualis fuerit mixtura illa. Ibid. *ultra quam concessum Romano ac senatori.* Ann. XII, 22: *atrox odii Agrippina ac Lolliae infensa.* II, 34: *spectabatur occursante populo compositus ore et sermonibus variis tempus atque iter ducens;* verba *iter ducens* nihil indicant nisi definitionem vocabuli quod antecedit, ita ut subsit sensus: tempus consumens eo quod iter in longum ducebat. Certe infringunt nervositatem orationis, qui explicant: tempus itineris ducens. — Ann. II, 33: *excessit Fronto ac postulavit,* h. e. eo quod postulavit [3]).

CAPUT ALTERUM.

DE COORDINATIONE NOTIONUM, QUARUM ALTERA ALTERI INHAERET. — DE IMPLICATIONE QUADAM.

Ad finem perducta sunt, quae de tribus illis particulis singillatim disputata volebam, ita ut jam inter se comparari pos-

1) Accuratius de hoc usu exponetur cap. II.

2) Gradatio etiam eo constare potest, quod notio generalior apponitur, ut significet *atque*: *und überhaupt.* Agr. 2: expulsis insuper sapientiae professoribus atque omni bona arte in exilium acta.

3) De vi comparativa particulae *atque* alio loco agetur.

sint. Elucet autem, saepissime eas posse commutari — ut par est in ejusmodi vocabulis — neque tamen de sensu quicquam decerpi. Itaque in iis, quae deinde exponam, in universum tantum dicere liceat, singularum particularum ratione non habita.—

Si in memoriam revocamus quae de explicativa copularum vi suo quaeque loco expedienda erant, id in ea re utique nobis tenendum erat, esse alteram utram sententiarum vel notionum generaliorem (sive e re ipsa sive ex cogitatione scriptoris), quam accuratius definiret altera ideoque ei inhaereret. Atque si accurati sumus, exemplis quale est Hist. I, 70: *subsignanum militem et grave legionum agmen* vestigia rationis de qua hoc capite agere in animo est, jam deprehendimus. Ac mire profecto elucet studium coordinandi in adjunctis ablativis absolutis qui dicuntur, ut Ann. XV, 12: *ille interritus et parte copiarum apud Suriam relicta,* enuntiatis relativis, quale habes Hist. II, 25: *cunctator natura et cui cauta potius consilia placerent,* sententiis, causalibus hypotacticis, quorum exemplum praebet Ann. XVI, 15 cet. Sed tamen talibus locis notio illa generalior utcumque servavit vim quandam atque gravitatem propriam, ita ut cum altera et specialiore et aequo quodammodo componi posset, id quod fit particula mere copulativa. At longius provectus est Tacitus, quippe quum haud raro ita componat notiones, ut generalior omnem paene gravitatem amittat, nec nisi ad constituendam alteram valeat, quae sine hac cogitari nequit.

Respiciamus igitur locum, quem supra jam tetigimus (Agr. 4, vide cap. I, §. 1, 5) ut copiam nobis faciat transeundi ad ea in quae tendimus. Apparebat enim ex eo, epexegesin aliquando sic esse comparatam, ut id exprimat quod maximi momenti est, prius autem enuntiatum nisi notionem generalem quae praecedat necesse sit non indicare. Unde consequatur oportet, hoc eo tantum fine praepositum esse ut alterum membrum altius intelligatur. Ratio igitur — si rem ipsam spectamus — quasi conversa est. Nam proprie in id quod prius enuntietur maxime incumbere eum qui dicat. contra posterius ut explicativum secundarias tantum partes agere consentaneum est.

Videamus exempla. Hist. IV, 56: *legatis tantum legionum interfectis ceterum volgus conscientia scelerum et spe impunitatis facile accessurum.* Hic caussa qua commotum volgus accessurum esse

credebatur profecto non erat conscientia scelerum, quae per se ipsa plane in contrarium consilium eos vertisset, sed spes impunitatis; ea vero in animis tum demum cooriri poterat, quum conscii scelerum erant, sin plane insontes se habebant non item. Itaque ratio sententiarum fere haec est: ceterum volgus *quia* conscium se sentiret scelerum spe impunitatis facile accessurum. — Ann. II, 33: *facilem adsensum Gallo sub nominibus honestis confessio vitiorum et similitudo audientium dedit.* Hunc locum J. Fr. Gronovius sic intelligendum esse putat: confessio est illorum qui post Gallum sententias dixere; similitudo audientium illorum qui non sunt locuti, sed verbo aut manu promissa assensere. Orellius: *similes audientium mores effecerunt ut tacite plerique, ut opinor, se eidem luxus vitio esse obnoxios faterentur, neque ei jam posse obsisti.* Uterque perperam ut equidem duco; ac ne Nipperdejum quidem sensum satis clare evolvisse contendere ausim, quum is dicat, *confessio vitiorum* esse: der Umstand dass man sich nicht scheute die Laster einzugestehen. Mitto Waltherum, mitto et Lipsium, qui pro *confessio* frustra conjecit *consensio.* Verba *confessio vitiorum* pertinent ad ea quae ipse Gallus antea *sub honestis nominibus de se* quasi confessus est, quum ex eo quod ludum defendit quodammodo appareret, se quoque ei esse obnoxium. Quae ubi audierunt ceteri, Gallo in hac re similes sibi visi sunt, eoque quia aliquid excusavit quod in omnes simul cecidit, facile adsensere. Itaque confessio quidem vitiorum per se ipsa adsensum non dedit, sed verba ad quae attinet: *similitudo audientium*, ea quam spectabat scriptor significatione sine illa nec cogitari nec dici poterant.

Hist. III, 44: *inditus erga Vespasianum favor, quod illic secundae legioni a Claudio praepositus et bello clarus egerat.* Non eo quod legioni praepositus erat favorem militum assecutus esse Vespasianus dicitur, sed quod bello in Brittannia clarus egerat. Hoc vero sine illo fieri non potuit; ergo notionem quae reapse antecedat necesse est, praemisit scriptor atque alteram quasi ex aequo adjunxit.

Hist. II, 21: *Vitelliani pluteos cratesque et vineas subfodiendis muris protegendisque obpugnatoribus — expediebant.* Plutei vel adhibebantur ad protegendos obpugnatores *in* subfodiendis muris.

Hist. III, 8: *magni momenti locum obtinuit reputantibus, illic*

Caecinam genitum et patriam hostium duci ereptum; h. e. expugnatio Viertiae magni momenti iis erat, quod, *Caecina ibi nato,* patriam hostium duci eripuissent.

Ann. XIV, 47: *adeo ut Nero aeger valetudine et adulantibus circum, qui finem imperio adesse dicebant, si quid fato pateretur, responderit habere subsidium rempublicam.* Si Nero non aegrotabat, etiam qui circumstabant non sic adulari poterant.

Ann. XV, 38: *et quia alii palam faces jaciebant, atque esse sibi auctorem vociferabantur;* non prius sed alterum caussae erat, cur restinguere ignem non auderent. Cf. Ann. III, 1: *nisi quod comitatum Agrippinae longo maerore fessi obvii et recentes in dolore anteibant.* XIII, 32: *Pomponia Graecina insignis femina, Plautio — nupta ac superstitionis externae rea, mariti judicio permissa.* XVI, 5: *dum per angustias aditus et ingruentem multitudinem enituntur.*

Addo duos locos in quibus alterum membrum majorem habere gravitatem etiam externo argumento comprobatur. Hist. III, 81: *studium philosophiae et placita Stoicorum aemulatus.* Tenemus zeugma quoddam. Nam verbum *aemulatus* solum ad *placita Stoicorum* videtur accommodatum; et quia ad illa maxime attinebat, huc flexum est, prioris membri ratione non habita. Hist. IV, 29: *quippe ipsorum tela per tenebras vana: Romani conspicuam barbarorum aciem et si quis audacia aut insignibus effulgens, ad ictum destinabant.* Nihil refert utrum scribamus *conspicuam*, an cum Haaseo, *per conspicuum.* Cardo rerum in eo est, quod ad *conspicuam barbarorum aciem* praedicatum latet in verbis *ad ictum destinabant*, quod fere sic a Tacito cogitatum sit: Romani barbarorum aciem conspicuam habebant. Quae cum ita essent (nam sic cogitando procedendum est), facile *ad ictum destinare* poterant, si quis eminebat. Id vero ita fiebat (atque haec est altera brachylogia) ut aut audaciam ac temeritatem assultando ostentaret, aut *effulgebat* insignibus ac splendida armatura. Est igitur prior sententia generalior tantum et quae ad alteram illustrandam praemittatur, in qua quum posita sit maxima vis, praedicatum prorsus attraxit.

Jam explicatur, quomodo fieri possit ut notio ad constituendam alteram necessaria etiam postponatur, quippe quum propriae gravitatis parum habeat. Hist. IV, 62: *quippe intra*

vallum deformitas haud perinde notabilis: detexit ignominiam campus et dies. Opponuntur sibi vallum et campus; *dies* vero illustrandi caussa superadditur. Agr. 16: *nec ullum in barbaris saevitiae genus omisit ira et victoria.* —

At enimvero jam versamur media in tractanda quaestione saneg ravissima, quae est de enuntiatis per figuram *ἓν διὰ δυοῖν,* quam vocant, a Tacito dictis.

Post editum Rothii libellum, qui inscribitur: de Taciti synonymis et per figuram *ἓν διὰ δυοῖν* dictis (Norimberg. 1826), haec res a multis editoribus in censuram vocata est adnotationibus hic illic dispersis, donec continua oratione de hac latini sermonis figura disputavit Muellerus [1]). Sed si Rothius nimius fuit — id quod non sine jure exprobres — Muellerus hunc usum dicendi finibus circumscripsit, qui quum ex ipsa rei vi ac natura deprompti non sint, habendi videntur non nisi ex arbitrio ejus exorti ac falsi.

Nam jure quidem contendit vir doctus initio commentationis suae, grammaticorum definitiones, quoad inspicere eas potuerit [2]), infinitas esse atque irritas. Ac tamen rectae ac verae sunt, nam ut vanitatis speciem prae se ferunt, ita res ipsa quae definiatur est quasi umbra *par levibus ventis volucrique simillima somno,* quam ut manibus comprehendas frustra coneris. Provenit enim ex usu dicendi ubique gentium usitatissimo, ex quo ad notionem quandam accedit altera, quae priorem explicet arctiusque constringat. Conveniens autem est, alteram et accuratiorem notionem saepenumero majorem etiam vim arripere, magisque animos legentium vel audientium commovere, quare haud raro prior notio, ut jam supra exemplis demonstravimus, vim suam proprie aequalem perdit, neque valet nisi ut constituat naturam alterius, quae in eo nexu in quo posita est sine illa cogitari nequit. Nam altera semper est generalior, altera inhaerens. Itaque si viam cogitandi stricte sequimur, non aliter quam vocabula *aurum et patera* per figuram hend. dicta habentur, enuntiata

---

1) Philolog. VII, 297 seqq.

2) Kruegerus: Hendiadyoin ist Verbindung zweier Begriffe durch Beiordnung statt durch Unterordnung; Zumptius: Hend. ist ein Begriff durch zwei von einander unabhängige Wörter ausgedrückt.

qualia sunt: subsignanum militem et grave legionum agmen, vel: libertum et accusatorem, quin etiam notissima illa: tuta et praesentia, vetera et periculosa, in hunc modum comparata esse quominus judicemus ne minimum quidem impedit.

Definitio autem, quam proponit Muellerus [1]), quum usum illum arctissimis finibus coerceat, et multis locis ad explicationes eum impulit valde artificiosas minimeque probabiles, et in interpretandis enuntiatis, ut Ann. XIII, 15: *dissimulationem nox et lascivia exemerat,* Hist. IV, 14: *ubi nocte et laetitia (eos) incaluisse videt,* IV, 69: *juniores periculo ac metu continuit* cet prorsus eum destituat necesse est. Sed — nescio qua de caussa — de talibus locis ne verbum quidem facit.

Nec minus errat vir ille doctus, si dicit: sind nun hiermit die Bedingungen angegeben, unter denen aus einem fertigen Begriffe, sowie umgekehrt aus zwei Wörtern ein hend. gemacht werden kann, so liegt auch zugleich darin ausgedrückt, wann ein gegebner lateinischer Ausdruck nothwendig als hend. gefasst werden muss, wenn nämlich die zwei Ausdrücke *nicht zwei nebeneinander bestehende Begriffe ausdrücken können, sondern nur als gegenseitig einander individualisirend gedacht einen Sinn geben.* Namque si duae illae notiones a Latino separatim cogitari non poterant, tum sine ulla dubitatione unaquaeque per se stare seorsim minime debebat. Cavendum est, ne de nostra dicendi et cogitandi consuetudine rationem sumamus orationi Latinae adhibendam. Sed exstant etiam multae quarum quamquam altera alteram necessario postulat ad constituendam naturam suam, tamen utraque a nobis singillatim et cogitari et enuntiari potest. Conferas modo, quae supra collegi exempla. Quae cum ita sint, Rothius quamvis falso de multis locis judicaverit, atque de origine et natura illius figurae clare non cogitaverit, tamen ad verum multo propius mihi videtur accessisse, quam Muellerus.

Quum igitur constet, figuram hend. vanum esse nomen,

---

1) *Es ist diejenige Figur, die für ein sachlich als ungetheilt zur Erscheinung kommendes Object zwei copulativ verbundene Ausdrücke setzt, deren jeder einzelne seinem Begriffe nach die Fähigkeit hat, als der zu bezeichnende ganze und auch als der ihm copulativ verbundene in der Wirklichkeit sich zu gestalten, und die sich so beide die bestimmtere Erscheinungsform, in der der andere auftreten soll, angeben.*

neque ad quicquam certo indicandum sufficiens, non dolendum esset, si a grammaticis funditus rejiceretur. Quid enim obstat, quin ubicunque duo vocabula interiore quodam nexu cohaerent, statim laeto animo hanc figuram deprehendere nobis videamur, neque proprias vocabulorum notiones multum curemus? At est facile quid in hac interpretandi ratione, nec raro dissecatur nodus taedio extricandi. —

Sed quamquam hic mos dicendi exortus est ex usu quodam ubique frequentissimo, tamen magis magisque ita excultus est, ut jam originem ac vim ejus cognosse non contenti simus, sed quo abierit accuratius indagemus oporteat. Atque hac ipsa in re proprietas stili Tacitini cernitur ante omnia memorabilis, ut jam monui. Nec injuria huc pertinentia faciunt quae dicit Cicero de translatione: instituta est inopiae caussa frequentata delectationis. Nam ut in universum hic usus olim coortus esse indè putandus est, quod homines immobilitate quadam ingenii justam rationem, quae intercederet inter duas notiones perspicere et exprimere potis non fuerunt, ita posteriore tempore scriptores studio antiqua et prisca imitandi correpti sic locuti sunt. Accedit vero, quod perspicuitati orationis atque claritudini haud raro valde inservit haec dicendi consuetudo, quum sic utraque notio pari vi ad animum ejus qui legit adducitur. Etenim etiam atque etiam dicendum est, duas notiones non positas esse *pro* una, verum hoc ipsum vitare voluisse scriptorem eo quod duas poneret. Id tantum ubique interpreti agendum est, ut interiorem nexum duarum illarum notionum ostendat.

Quae igitur ad probandam hanc dicendi consuetudinem supra allata sint exempla, ea ad rem penitus cognoscendam nondum sufficere, neminem praeteribit. Nam si hac disputatione ad Tacitum clarius expediendum aliquid conferre volumus, opus est ut reliquos locos omnes qui huc pertinent et a vulgari dicendi usu recedunt, congeramus, quid de iis judicatum sit recenseamus, falsa refellamus, id quod nobis videtur proponamus. Quaeritur ante omnia, quomodo instituenda sit haec commentatio.

Atque primum commemoranda est difficultas quaedam, quippe quae in eo posita sit, quod unoquoque loco oportet reputemus, quae sit notio inhaerens et quae generalior, vel ut ex nostra cogitandi talia et concipiendi ratione dicam, quae sit notio pri-

maria et quae attributiva. Nam vis specialis vel generalis saepissime rebus ipsis non continetur, sed pendet ex sententia scriptoris. Atque prout accipimus notiones sensus existit alius. Cujus rei si quis exemplum quaerat hoc habeto: Ann. XVI, 5: *dum per angustias aditus et ingruentem multitudinem enituntur*, verbis *ingruentem multitudinem* ea quae antecedunt accuratius definiuntur, ergo illa generaliorem notionem formant. Sed si sumimus posterius enuntiatum a scriptore eo fine additum esse, ut id quod verbis: *per angustias aditus enituntur* indicatur, comprobatur, tum caussam affert. Id vero quod caussam alicujus rei significat notio est illâ prior atque generalior. Discrimen autem, quod hac notionum commutatione nascitur, tale fere est, quale sentias inter enuntiata: der grüne Baum, atque: das Grün des Baumes. — Et saepe quidem verbum, quod ad unam tantum duarum notionum accommodatum videtur, sequentes ad rectum judicium perducimur (cf. supra). Sed saepius ex hoc verbo nil potest concludi, atque alia sunt circumspicienda indicia. Jam per se intelligitur, oportere plurimis locis ordo vocabulorum ita se habeat, ut praecedat notio generalis, ad quam apponitur inhaerens illa, id quod jam Handio observatum est [1]), ergo, si ex nostra ratione loquimur, prior notio sit attributiva. Sed ut vidimus generalior notio etiam insequi potest inverso verborum ordine. Itaque melior videtur atque latius patens lex quae certe apud Tacitum utique valet haec: si duo illa vocabula subjecti aut objecti vice funguntur, aut ablativorum instrumentalium, qui dicuntur, vel causalium partes sustinent, tum notio primaria semper proxime ad praedicatum quod vocatur accedit; ac si interponitur tamen unum alterumve vocabulum, certe semper propius abest ab illo, quam ea quae attributi vim exhibet. Itaque praecedente praedicato primum notio primaria sequitur, deinde altera; sin vero postponitur, tum etiam ordo notionum inversus est. Quae lex explicatione non eget. Nam hi sunt simplicissimi modi sententias formandi, exhibentque arctissimum et frequentissimum nexum duarum notionum, quarum altera ex altera

---

1) Turs. I, 463. Sed, ut jam alio loco monui, non intelligere possum qualem cogitavit Handius esse notionem inhaerentem. Item nimis subtiliter videtur exponere de vario usu particularum: *et*, *que*, *atque*.

pendet. His igitur in juncturis ante omnia consentaneum erat, rationem interiorem verborum statim intelligi. Quod quomodo justius ac clarius fieri potuit, quam ut notio proxime ab eo verbo poneretur quocum arctius cohaeret? — Atque tria tantum observavi exempla, quibus huic regulae non obsecutus est scriptor: Ann. XIII, 19. Hist. II, 4. III, 61 (vide infra). Ea autem sic sunt comparata, ut primaria notio cum vi posita sit initio sententiae, quo satis evitatur ambiguitas, praeterea vero ad alteram addita sint alia vocabula in finem attributi, quae nisi sine ulla gravitate primaria notio sequi non poterat. Etiam apud alios scriptores, in quantum ego eos perscrutari poteram, haec lex utique valere videtur.

Si alia intercedit ratio inter praedicatum et notiones illas, nexusque exstat solutior, huic regulae non tam stricte obtemperatur, licet, si omnia computamus, multo amplior sit numerus eorum locorum, qui in hunc modum compositi sunt, quam qui aliter habent. Neque vero aliam in medium proferre ausim timore ne arctiora vincula orationi scriptoris injiciam. Sed exstant alia insuper indicia rationis quae inter notiones illas intercedit. Quorum primum nomino, si enuntiatum praecedens vel insequens respondet notionibus de quibus agitur, sed ita ut attributi vice verum adjectivum fungatur. Tum autem, si duo paria aequo modo comparata sibi respondent, in altero semper sedes vocabulorum immutatae sunt. Si nulla exstant argumenta externa, tum nil reliquum est nisi ut diligentissima sensus indagatione intelligere studeamus, qui sit inter duo vocabula nexus. Sed horum locorum numerus admodum exiguus est. —

His in universum praemissis ad singulos locos tractandos accedo. Sunt autem in judicium vocandi ante omnes alios ii, quibus lex nostra modo prolata comprobatur, Quorum primum eos adscribo, qui ita se habent ut de nexu notionum praeter collocationem verborum etiam praedicati ipsa natura nos edoceat, quod indicium jam supra tetigi.

Hist. I, 7: *sed a legatis bellum suadentibus, postquam impellere nequiverint, crimen ac dolum ultro compositum.* Falso egerunt, qui interpretati sunt: crimen dolose compositum; est e contrario: dolus ad committendam caedem compositus. Ut dici possit:

componere caedem — nam ea h. l. est crimen — valde vereor; at de dolo vide Ann. XI, 10: dolo ante composito.

Hist. II, 19: *tum vetustissimus quisque castigare credulitatem suam, metum ac discrimen ostendere, si cum exercitu Caecina patentibus campis tam paucas cohortes circumfudisset.* Doederlinus dicit: *metum* h. e. *periculum*, quae est facilis ratio explicandi. Et ut facilis ita falsa. Ceterum locus est inter difficiliores. Teneamus milites, quum usque ad Padum pervenissent, intellexisse, falsum fuisse nuntium, neque Caecinam flumen jam transgressum esse. Inde primum expeditur plusquamperfectum *circumfudisset*. Deinde apparet, reapse de metu vetustissimorum non debere cogitari, quum non adesset quod timerent. Accedit quod verbum *ostendere* cum vocabulo *metum* conjungere non licet. Nam *ostendere* significat: auf Etwas hinweisen, eodemque modo paullo infra redit: *ratione ostendens.* Neque vero idem est ac *ostentare,* quod rursus ad discrimen non quadraret, nec ad ea quae praecedunt: *castigare credulitatem suam.* Itaque adducimur ut *metum* habeamus pro attributo vocabuli *discrimen.* Sed quonam modo? Expediam. Sane prudenter hoc loco scriptor consuetudinem illam dicendi secutus est, quoniam sic brevissimis verbis significat, quod ceteroquin in sermone Latino nisi longis ambagibus et larga verborum copia exprimi non potest. Quum enim de vero metu dicendum non esset, sed tantum de metu, qui certis quibusdam conditionibus milites invasisset, omnino defuit vocabulum, quo id quod voluit indicaret. Nunc autem quamquam paullulum obscure compositum est enuntiatum tamen Taciti usum altius perscrutanti patescit sensus qui subest. Solvamus in hunc modum: castigare credulitatem suam, quum ostenderent discrimen, in quod ne inciderent metuendum iis fuerat, si cum exercitu Caecina — tam paucas cohortes circumfudisset. — Verum haec est brevitas dicendi Tacitina!

Hist. II, 56: *vi et stupris polluere,* h. e. stupris vi illatis, ut satis patet ex verbo *polluere,* quod alioquin de vi illata dici nequit.

Hist. II, 70: *et erant quos varia fors rerum, lacrimaeque et misericordia subiret.* Non, ut voluerunt homines docti, interpretandum est: mitleidige Thränen, sed: Mitleid, was sich in Thränen kund gab. Atque exhibere revera vocabulum *misericordia*

notionem primariam, etiam ex singulari numero: *subiret* palam est. Tamen ne nimis huic argumento confidamus abstinebit locus, qui legitur Hist. III, 19: *quodsi lucem opperiantur, jam pacem, jam preces et pro labore ac volneribus clementiam et gloriam, inania laturos.* Sed sensus fere est: gloria clementiae, nam *clementiam ferre* non dicitur [1]).

Hist. III, 16: *eques adventare hostes, praegredi paucos motum fremitumque late audiri nuntiavit.* Locus per se clarus.

Germ. 17: *detracta velamina spargunt maculis pellibusque beluarum.* Kritzius male intellexit: maculosis pellibus. Nam pelles non sparguntur; praeterea fugit Kritzium ut videtur mos Tacitinus, ex quo notio primaria et praedicatum arcte connectuntur. Itaque agitur de maculis quae ex pellium pannis constant, id quod recte perspexit Orellius, quum adnotet: maculis e pellibus beluarum confectis, quarum diversas lacinias adsuebant, ut esset major varietas. —

Sequuntur alia. Hist. I, 67: *Helvetii, Gallica gens, olim armis virisque, mox memoria nominis clara.* — Rationem dicendi, de qua agimus, miro modo mediam esse inter unam notionem atque duas indicandas, vix ullo enuntiato melius perspiciatur, quam eo quod est: *arma virumque,* vel *arma virique* et quae similia sunt, atque inde a Vergilio creberrima. Nam si certa ac definita horum verborum significatio utique constaret, etiam omnes eos, qui hac in re Vergilium imitati sint, uno eodemque sensu semper ea usurpasse necesse erat. Quod probari minime potest. Ut solum dicam de illo quod est in primo Aeneidos versu: *arma virumque cano,* quod proxime videtur accedere ad nostrum: den wehrhaften Mann, imprimis si in comparationem vocamus Aen. XI, 747: *volat igneus aequore Tarchon arma virumque ferens* [2]), id multos quidem, qui de hoc versu

1) Temere, opinor, Orellius in loco ejusdem capitis: *utque cumulos super et recentia caede vestigia incessere* inesse hendiadyoin judicat, scilicet: super cumulos caesorum. Nam *et* valet: *et omnino; cumuli* non sunt interfectorum tantum acervi, sed etiam rudera armorum circumsparsa, loricae, galeae, equorum corpora, qualis esse solet facies campi post pugnam. Vide, quae a Tacito ipso mira arte describuntur Ann. I, 61 et Hist. II, 70. — Idem Orellius Hist. III, 10: *signa et bellorum deos* perperam hendiadyoin habet.

2) Constat de explicatione hujus versus in diversissimas partes discessisse homines doctos; cf. Wagnerum ad h. l. . .

mentionem injiciant, in eundem modum accepisse elucet[1]), ut Ovidius Trist. II, 534: *et tamen ille tuae felix Aeneidos auctor Contulit in Tyrios arma virumque toros,* et Anthol. Lat. II, 193, 9: *arma virumque canit mira virtute potentem.* Sed si duo illa vocabula prorsus in unum coaluissent, certe Vegetius (de re milit. II, 1) dicere non poterat: *res igitur militaris, sicut Latinorum egregius auctor carminis sui testatur exordio, a r m i s constat e t v i r i s.* Ergo et ad locum Tacitinum ex versu Vergiliano certa explicandi ratio deduci non potest. — Aliud impedimentum est interpreti, quod vocabulum *arma* variis significationibus ubique usurpatur. Sic metonymice dicitur pro *bellum,* ut Ann. I, 2: *publica arma*[2]), vel designat ea, quae ad bellum inferendum parantur (Kriegsanstalten), ut Hist. II, 1: *aderant qui arma Vitellii bellumque adfirmarent*[3]). Ac tamen si consideramus formulas, qualis est: *arma virosque ad bella polliceri,* similes, quas collegerunt Burmannus et Wagnerus ad Aen. I, 1, apparet primum, in iis de veris armis cogitandum esse; deinde etiam id fortasse concedetur, adesse viros maxime referre, quippe quibus obveniant arma, neque vero sola arma ad bellum suppeditari. Itaque sumere possumus, hac in junctura duas illas notiones arctiore quodam nexu cohaerere, quamquam minime contenderim, idem eas exprimere ac nostrum: Kriegsmänner, sed, ut dixi, junctura media est inter duas notiones atque unam. Cf. etiam Ann. XV, 1: *virorum armorumque faciendum certamen.* Verum sic quoque ambiguitas, quae est in hac dicendi ratione, inde apparet, quod libero modo duae notiones sedes suas immutare, quin etiam verbo quodam interposito dirimi possunt, ut Hist. IV, 12: *nec opibus Romanis — adtriti v i r o s tantum a r m a q u e imperio ministrant.* Quo loco unaquaeque per se ipsa exstat.

Hist. II, 23: *acerrima seditionum ac discordiae incitamenta interfectores Galbae, scelere et metu vaecordes miscere cuncta;* intell.: metu, qui e conscientia sceleris nascebatur.

---

1) Vide locos, quos sane diligenti cura conquisivit Woldemarus Ribbeckius in edit. O. Ribbeckii, II, 371.

2) Tibull. I, 10, 11: *nec tristia nossem arma nec audissem corde micante tubam.*

3) Simile quid denotatur Verg. Aen. VI, 353: *Quam tua ne spoliata armis excussa magistro Deficeret tantis navis surgentibus undis.*

Hist. II, 69: *frementibus auxiliis tantum impunitatis atque adrogantiae legionariis accessisse;* h. e. adrogantiae, quae poenas non lueret.

Hist. III, 7: *desiderata diu res interpretatione gloriaque in majus accipitur.* Non accurate Orellius sensum subesse vult: interpretatione gloriosa. Est gloriatio (nam sic accipienda *gloria* hoc loco), quae constabat et apparebat interpretatione hujus rei. Quod quamquam nunc parum differt, tamen enuntiatum ex vi sua atque compositione expediendum est. Similiter erravit Orellius Ann. II, 32: *quorum auctoritates adulationesque rettuli, ut sciretur vetus id in republica malum*, quum interpretetur: sententias adulatione plenas, ac ne Rothius quidem recte: auctoritates foedas adulatione (de synon. pag. 25). Sunt e contrario: adulationes quae in auctoritatibus comparebant. Nam *adulationes* sunt *vetus id malum*, non *auctoritates* [1]).

Hist. IV, 69: *sapientissimum quemque reverentia fideque, juniores periculo ac metu continuit.* Quod posterius membrum accipiendum est tamquam: juniores metu periculi continuit, inde tamen non consequitur, etiam vocabula: reverentia fideque tali nexu cohaerere. Videtur contra scriptor in secundo membro posuisse duas notiones, ut id priori respondens faceret.

Sed plane aliter comparatus est locus Hist. II, 49: *quidam militum juxta rogum interfecere se, non noxa neque ob metum, sed aemulatione decoris et caritate principis*, quem recte explicat Rupertius: non quod noxae admissae in Othonem sibi essent conscii, neque ob metum a victore.

Hist. IV, 81: *alius manum aeger — ut pede ac vestigio Caesaris calcaretur orabat.* — Hist. V, 6: *terra finesque, qua ad Orientem vergunt, Arabia terminantur.* Hoc loco (nec non aliis quibusdam) collocatio notionum minus pendere videtur e sede praedicati, quam inde explicanda, quod praecedere notionem generalem utique consentaneum est. —

Ann. I, 8: *plerosque invisos sibi, sed jactantia gloriaque ad posteros.* Paullo aliter hic sumenda vox *gloria*, quam rectissime

---

1) Aliter Nipperdejus explicat. Sed posuit sine dubio Tacitus rarum verbum *auctoritas*, quoniam alia quae simile significant omnia jam in iis quae praecedunt exhauserat (censere, sententia, decrevere), nec repetere voluit.

Nipperdejus (ad Ann. I, 43) reddit per nostrum: Ruhmbegierde. Nexum notionum Waltherus definit: jactantia gloriosa.

Ann. I, 49: *permissa vulgo licentia atque ultio et satietas.* En habemus tres notiones, quas si ad unum atque continuum enuntiatum contrahas, prodit sensus fere hic: licentia ultionis usque ad satietatem.

Ann. II, 82: *nec obstitit falsis Tiberius, donec tempore ac spatio vanescerent.* Orellius apte confert Caes. b. g. VIII, 31, 2: *dato spatio ac tempore,* atque intelligitur ex inverso verborum ordine, et Caesarem legi, quam proposuimus, obsecutum esse.

Ann. III, 60: *crebrescebat enim Graecas per urbes licentia atque impunitas asyla statuendi.* Vox *licentia* movet cogitationem de re quae fit contra jus vel fas, et de ea caussa poenam meret. Ideo addendum erat: *impunitas.* Quod vocabulum si separamus a *licentia,* ambiguum est, quum nesciamus utrum pertineat ad facta illicita vel licita; nam et haec non puniuntur. Ergo sensus subest: licentia impunita.

Ibid. *igitur placitum ut mitterent civitates jura atque legatos.* Haec significant: jura per legatos; nam mitti legatos non attinebat, nisi quod jura afferrent. Item Agr. 29: *legationibus et foederibus omnium civitatum vires exciverant.*

Ann. XII, 27: *Agrippina in oppidum Ubiorum veteranos coloniamque deduci impetrat;* h. e. veteranos qui coloniam ibi constituerent, quod simili significatione breviter exprimas: coloniam veteranorum, eine Veteranencolonie. —

Ann. XII, 69: *testamentum tamen haud recitatum, ne antepositus filio privignus injuria et invidia animos volgi turbaret;* invidia propter injuriam Brittannico illatam (damit nicht der Umstand, dass der Stiefsohn dem echten Sohne vorgezogen sei durch den Hass über dieses Unrecht die Gemüther des Volkes in Aufregung brächte).

Ann. XIII, 15: *unde orta miseratio manifestior, quia dissimulationem nox et lascivia exemerat.* Nox dissimulationem auferre non potuit, verum ebrietas quae longius provecta nocte magis magisque increscebat animosque aperiebat; nam in vino veritas. Cui explicationi obverti nequit Hist. 1, 80: *et obsequia meliorum nox abstulerat,* quae verba cum Rupertio ita intelligas: tenebrae prohibuerant, quominus meliores a pessimo quoque segregaren-

tur, et imperata facerent. Etenim id agitur ut *omnes* milites nullo excepto ad seditionem rapti esse intelligantur. Sed ex omni parte aequus est locus, qui legitur Hist. IV, 14: *Civilis primores gentis et promptissimos volgi, specie epularum sacrum in nemus vocatos, ubi nocte ac laetitia incaluisse videt — injurias et raptus et cetera servitii mala enumerat.*

Ann. XIV, 3: *ferrum et caedes quonam modo occultaretur, nemo reperiebat.* Ex Nipperdeji sententia voce *caedes* comprehenduntur reliqua necis genera praeter venenum et ferrum. Quae explicatio primo obtutu veri similis videtur propter ea quae antea dicta sunt: veneno an ferro vel *qua alia vi.* Ac tamen postremum illud leviter tantum a Tacito additum est, ita ut deinde id non jam respiciat, sed notissimos duos obtruncandi modos in mente retineat solos. Nam quominus cum Nipperdejo faciamus obstat, quod caedes ea qua vult vi non dicitur, sed semper de illa morte, quae ferro offertur, praeter quod alias etiam exhibere potest significationes ut nostrum: Metzelei, vel metonymice: Leichen. Cf. Hist. III, 26. IV, 1. — Sed Ann. XI, 23: *exercitus nostros ferro vique ceciderint*, sensus est: ferro et alia vi. —

Agr. 43: *laetatum eum (Domitianum) velut honore judicioque,* h. e. honore qui inerat in judicio ex quo coheredem uxori et filiae Agricola eum scripserat.

Dixi supra de tribus locis, qui a regula quam constitui recederent. Jam eos adscribo. Hist. II, 4: *aemulatio et proximi exercitus gloria depulerat segnitiam.* Sensus est: quod aemulabantur gloriam proximi exercitus. Nempe Tacitus dicere noluit: aemulatio proximi exercitus gloriae [1]).

Hist. III, 61: *et terrore famaque aucti exercitus Vitellianae*

1) Genetivos in hunc modum subjunctos fere ubique reformidat, de qua re videas quae nuper Zernialus collegit: de genetivi usu Taciteo p. 80 seq. Omnino hic usus ab eorum qui diligenter scribunt ratione alienus est ut tardus atque elumbis. Apud Quinctilianum raro legitur: VI, 1, 9: *indignitate calumniae conspirationis* (cf. Bonnellii lex: Quinct. prolegg. p. 43), rarissime apud Plinium invenias: Epp. VIII, 6: *abstinentissimi fidelissimique custodis principalium opum;* contra frequentius apud Suetonium, ut Ner. 10: *praemia delatorum Papiae legis;* 31: *cum multitudine omnis generis pecudum ac ferarum.* Tiber. 6: *comes parentum fugae.* Claud. 9: *Neronis et Drusi fratrum Caesaris.*

cohortes nutabant. Ann. XIII, 19: *ne opibus et orbitate Silanae maritus poteretur;* Orellius: opibus quae propter Silanae orbitatem ad Sextium perventurae erant. — Ac tamen de ultimis duobus locis ambigi potest, nonne ad regulam expediendi sint. Quum enim vocabulum *terror* etiam activo sensu a Tacito usurpetur (vide infra), locus historiarum fortasse accipiendus est in hunc modum: nutabant Vitellianae cohortes fama aucti exercitus, quae eas terrebat; atque is qui ex annalibus desumptus est admittat explicationem: ne poteretur orbitate Silanae, quae opibus constabat. — Sed simplicior videtur altera ratio.

Dein verba aliquot addiderim de loco, qui ut vulgo legitur mendo videtur infectus esse. Ann. XI, 6: *veterum oratorum exempla referens, qui famam et posteros praemia eloquentiae cogitavissent,* quum verba *famam et posteros* alium sensum praebere non possint, quam: famam posterorum, vel: ad posteros (nam *posteri* praemia eloquentiae vocari non putandi sunt) ex consuetudine Tacitina dicendum fuit: posteros et famam, ut prorsus similis invenitur locus Ann. III, 65: *utque pravis dictis factisque ex posteritate et infamia metus sit.* Quare non dubito quin vera sit adnotatio marginalis: *a d posteros,* sumendumque est, correctorem quendam ex alio et meliore codice hanc emendationem intulisse. *Adsunt enim in margine adnotationes nonnullae diversa manu, sed v a l d e a n t i q u a,* ut ait Bandinus in catalogo codd. Latin. bibl. Laurentianae. Fulcitur autem haec lectio loco Ann. I, 8: *jactantia gloriaque a d posteros.* —

Veniamus ad alia. Si indicia, quae ex collocatione vocabulorum desumuntur, nos deficiunt, tum, ut monui, circumspiciendum est, nonne ex respondente quodam enuntiato aliquid de nexu notionum colligi possit. Idque primum ita fieri debet, ut intelligamus in enuntiato respondente attributi partibus verum adjectivum fungi. Videas quae leguntur Ann. I, 59: *Arminium potius g l o r i a e a c l i b e r t a t i s, quam Segestem f l a g i t i o s a e s e r v i t u t i s ducem sequerentur.* Hoc loco Tacitus ipse quasi digito monstrat, quomodo accipi velit talia enuntiata. Nam quod primum substantivo exprimitur (gloriae), id in membro quod respondet adjectivum indicat (flagitiosae). — Item Hist. II, 95: *unum ad potentiam iter: p r o d i g i s e p u l i s et s u m p t u g a n e a q u e satiare inexplebiles Vitellii libidines.* Nam ventri tantum et

gulae obediens erat praeclarus ille princeps imperii Romani. — Ann. II, 57: *postremo paucis familiarium adhibitis sermo coeptus Caesare qualem ira et dissimulatio gignit, responsum a Pisone precibus contumacibus.* Alter clemens se ostendere volebat, ac tamen iratus erat, alter submissi speciem praeferebat, quum undique erumperet procacitas. Respondent sibi vocabula *ira* et *contumacibus.* — At is locus facultatem mihi praebeat exponendi de mira quadam ratione breviter dicendi. Appellaverim implicationem notionum, quam quomodo intelligi velim, statim ex hoc nostro exemplo ostendam. Nam duae illae notiones, quae sunt: irae dissimulatio, et: preces contumaces, invicem sibi aliquid supplementi afferunt, quod ad utriusque vim complendam utique necessarium est. Sicuti enim in statera ex lance in altum elata colligere potes, quantum sit pondus quod deprimit alteram, ita etiam ex posteriore notione ad priorem cui opponitur, contrarium mente addendum est. Prior autem notio de vi sua generaliore aliquantulum suppeditat posteriori ita ut revera cum ea implicita sit atque cohaereat. Intelligimus e vocabulo *dissimulatio,* etiam *preces* quae opponantur dissimulatas fuisse, id quod verba ipsa *precibus contumacibus* non indicant, quippe quae pari jure de proterva quadam efflagitatione accipi possint. Contra ex *contumacibus* prodit, dissimulationem irae fuisse dissimulationem in clementiam, ac ne illud quidem ipsis verbis continetur, quum dissimulatio irae etiam tranquillitatis et lentitudinis personam ferre possit. Hic vero id agitur, ut Germanicus comis atque benignus sese ostentet.

Jam ad hunc modum aliquot locos explicare liceat. Hist. III, 24: *frustra minis et verbis provocatos Vitellianos.* Intelliguntur minae et *gestibus* et *verbis* objectae. Nam vocabulum *verbis* per oppositionem elicit significationem illam e vocabulo *minis*; rursum id generaliore sua vi alterum complectitur. Si Tacitus id exprimere voluisset, quod exit, quum alteram notionem alteri inhaerentem tantum facimus haud dubie usus esset adjectivo *minax,* quia valde adamat adjectiva in *ax* desinentia, ut: procax, tenax, capax, rapax, ferax, suspicax alia. — Prorsus aeque comparatus est Hist. I, 69: *civitatis excidium poscunt, tela ac manus in ora legatorum intentant. Ne Vitellius quidem minis ac verbis temperabat,* ubi ex iis quae antecedunt luce

clarius comparet, ita ut dixi verba illa accipienda esse [1]. — Hist. III, 48: *ac primo rex minis armisque supplicem tueri; postquam merces proditionis aut bellum ostendebatur — perfugas tradidit.* Sunt minae verborum et minae armorum. —

Hist. IV, 68: *Varus praetorianis praepositus vim atque arma retinebat.* Cap. 39 legimus, Primum Antonium Varumque Arrium recentes clarosque rerum fama ac militum studiis etiam populum fovisse. Primi Antonii potentia a Muciano infracta erat. Varus retinebat adhuc vim, quae posita erat in militum populique favore et in armis, quum esset praetorianis praepositus. — Hist. V, 1: *comitate et alloquiis officia provocans:* durch freundliches Wesen und freundliche Ansprache. — Ann. I, 70: *non vox et mutui hortatus juvabant adversante unda.* Si statueremus hendiadyoin, quod vocant, vocabulum *vox* esset absurdum additamentum, nisi forte sunt qui ducant, hortatus et alio modo fieri potuisse ac voce. Nos a vero non aberrare nobis videmur, si contendimus, *vocem* oppositam esse vocabulo *mutui*, ac significare adhortationes ducis, centurionum cet [2]. Nam vis vocabuli *hortatus* in vocabulum *vox* transfluit. Ceterum hoc loco inversus est ordo, ita ut posterior notio generalior sit [3]. — Ann. VI, 55: *caussa ad matrem referebatur, quae pridem repudiata adsentationibus atque luxu perpulisset juvenem ad ea, quorum effugium non nisi morte inveniret.* Narratur quomodo effecerit mater, ut juvenem ad incestum corrumperet: primum ita ut sineret eum luxuriae se dedere atque adsentaretur, deinde ut ipsa incitaret. — Ann. XIII, 42: *Romae testamenta et orbos velut indagine ejus capi;* non solum orborum testamenta (quamquam imprimis haec), sed aliorum quoque; *orbos* in vocabulo *testamenta* gignit notionem eorum, qui non orbi erant. — Agr. 38:

---

1) Paene incredibilis est error Handii, quum (Turs. I, 463) dicat: *verba* non sunt minacia verba, sed verba quae minis quodammodo opponuntur, sunt alloquia blanda ut apud Prop. I, 13, 22.

2) Singularis metonymicus offensionis nihil praebet. Ann. III, 11: *populus plus sibi in principem occultae vocis aut suspicacis silentii permisit.* Cf. insuper Weinkauffii dissert. I, 38.

3) Wolfii conjectura: vox *aut* mutui hortatus, quamquam ferri posset, tamen necessaria non est. Cf. cap. VI.

et nox quidam gaudio praedaque laeta victoribus, h. e. gaudio victoriae et gaudio praedae. —

Adjungo alium usum et cognatum. Si a Tacito duo ablativi diversi generis connectuntur — id quod haud raro fit — tum ea intercedere solet ratio, ut alter ad alterum explicandi gratia apponatur simul ac propriam vim prorsus retineat. Sic jam supra [1]) adscripsimus locum ex Hist. II, 22: *molares ingenti pondere ac fragore provolvunt*, quod est: pondere ac fragore qui ipso pondere efficiebatur, vel, si vis, fragore ponderis. Est igitur talibus locis non cogitandum de figura hendiadyoin, quod Rothio visum est. Ann. II, 61: *instar montium eductae pyramides certamine et opibus regum;* compositi sunt ablativi modalis et instrumentalis; pyramides exstructae sunt opibus regum et certamine in ostentandis opibus. — Agr. 12: *olim regibus parebant, nunc per principes factionibus et studiis trahuntur; studia* sunt quae ad augendas corroborandasque factiones a singulis suscipiuntur (Parteibestrebungen); apte confert Wexius Ann. II, 43; *divisa et discors aula erat tacitis in Drusum aut Germanicum studiis.* Sed factiones quoque (Parteien) nationes discerpebant, quae et ipsae olim non exstitisse putandae sunt. Itaque intellige: factionibus et studiis factionum. — Hist. I, 63: *isque terror Gallias invasit, ut venienti mox agmini universae civitates cum magistratibus et precibus occurrerent.* Magistratus deprecabantur exitium imminens, sed etiam multitudo eaque strata humi vocibus dissonis et lamentationibus. Haec Rothius (pag. 52) rectissime expedit, quo magis miror quod de hendiadyoin hic non desperavit [2]).

Neque multum diversa sunt quae leguntur Hist. III, 66: *ceterum ut quisque Vitellio fidus, ita pacem et conditiones abnuebant.* Respicit enim scriptor prioris capitis verba: crebris cum Vitellio sermonibus de pace ponendisque per conditionem armis agitare. Intelliguntur igitur pax et conditiones pacis. Vel Hist. IV, 60: *virgulta postremo et stirpes et internatas saxis herbas vellentes miseriarum patientiaeque documentum fuere*, i. e. miseriarum documentum et patientiae miseriarum. —

---

1) Cap. I, §. 3, 4.

2) Ernestius consuetudinis Tacitinae plane ignarus verba *et precibus* pro glossemate habuit.

Sed redeo ad inceptum. Alterum indicium de nexu notionum ex enuntiatorum responsione hauriendum attuli hoc: si duo paria aequo modo comparata sibi respondent, in altero semper sedes vocabulorum immutatae sunt. Quod exemplis probare liceat. Hist. IV, 72: *nec proinde periculum aut metus, quam pudor ac dedecus obstupefecerat.* Non haerendum est in particula *aut*, quum ea voculam negativam sequatur, quae saepe — numero efficit, ut vis disjunctiva plane auferatur [1]). Quare injuria Nipperdejus scripsit *ac.* Eundem perperam egisse contendere ausim, quum adnotet ad Ann. I, 43, in enuntiatis quale sit *interpretatione gloriaque* de significatione conjuncti vocabuli aliquid transfluere in notionem vocabuli *gloria*, eoque verba *periculum ac metus* — ut his utar exemplo — sermone vernaculo ita reddat: das Bewusstsein der Gefahr und Furcht. Nam fere e contrario res se habet. Notio generalis, quae si non adest, altera quae accedit cogitari nequit, per se nihil gravitatis continet sed solam indicat rationem universam, quam respicit primaria notio: Gefahr in der besondern Beziehung auf Furcht, h. e.: Furcht der Gefahr, vel: Furcht vor Gefahr. Contra Nipperdejus censet, de notione specialiore ad generaliorem aliquid addi, quae est contradictio in adjecto. Quod vitium etiam in versione sua palam est. Si hoc nostro loco (Hist. IV, 72) *periculum* atque *metus* sumuntur tamquam verba, quorum utrumque vim per se habet, non necessarium erat, legiones *conscientia* periculi obstupefieri, quippe quae metus notionem complectatur minime oporteat, rursum vocabulum *metus* si ad *periculum* pertinet (nec potest ad aliud quicquam referri), *conscientiam* periculi simul continet, idque vocabulum supervacaneum reddit. — Ibid. *qui vocem precesque adhibere non ausi lacrimis ac silentio veniam poscebant.* Bene Rothius (pag. 27): erant enim preces, quamquam voce non editae, quod ipse Tacitus ait, unde facile colligas, vocem precesque esse i. q. laute Bitten. Deinde venia postulari non poterat eo silentio, cui non signum aliquod animi accederet; nostrates vero inversis partibus dicere solent: durch stilles Weinen. Nam *vocem* et *silentio* sibi respondet. Firmatur insuper haec explicatio verbis: *adhibere* et

---

1) De hoc more dicendi confer quae disputabuntur cap. VI.

veniam poscebant [1]). — Germ. 25: *occidere (servum) solent non* ***disciplina et severitate, sed impetu et ira.*** — Ibid. 37: *veterisque famae lata vestigia manent utraque* ***castra ac spatia,*** *quorum ambitu nunc quoque metiaris* ***molem manusque*** *gentis.* —

Fortasse quis miratus est, quod ad probandum enuntiatum *periculum aut metus* non attuli Hist. I, 88: *nullus ordo metu aut periculo vacuus.* Sed hunc locum — ut uno nomine omnia enuntiem — pro glossemate habeo. Narratur Othonem Galliam Narbonensem adgredi voluisse et jam iter multo comitatu paravisse. Dein haec leguntur: *igitur mota urbis cura; nullus ordo metu aut periculo vacuus. Primores senatus aetate invalida et longa pace desides, segnis et oblita bellorum nobilitas, ignarus militiae eques, quanto magis occultare et abdere pavorem nitebantur, manifestius pavidi. nec deerant e contrario qui ambitione stolida conspicua arma, insignes equos, quidam luxuriosos apparatus conviviorum et irritamenta libidinum ut instrumentum belli mercarentur. Sapientibus quietis et rei publicae cura; levissimus quisque et futuri improvidus spe vana tumens*; *multi adflicta fide in pace, ac turbatis rebus alacres et per incerta tutissimi.* (89) *Sed volgus et magnitudine nimia communium curarum expers populus sentire paullatim belli mala* cet. — Incipiam a levioribus. Atque primum sententia, de qua res est, prorsus superflua est. Dicitur enim de pavore, qui quosdam Romanorum incessisset, in fine insequentis sententiae, et satis illic distinctis ac dilucidis verbis, ita ut tali praefatiuncula minime opus sit, et ex omni parte sufficiant verba: igitur mota urbis cura, ad quae etiam admodum inculte adsuta est. Tum in collocatione verborum offendimus. Nam si omnino sensum praebent verba, ita intelligenda sunt, ut *metu aut periculo* sit fere dictum pro: metu periculi. Sed hoc si indicare voluisset scriptor non dubito quin posuisset: periculo aut metu vacuus. Nam ut omnino consentaneum est, et praecedere notionem generaliorem, et notionem primariam prope a praedicato sedem habere, ita in hoc ipso usurpando enuntiato Tacitus firmam ac stabilitam consuetudinem ostendit. Hist. IV, 2: *periculum aut metus* IV, 69: *juniores periculo ac metu continuit*, et similiter

1) Aliter Muellerus pag. 303. Sed tum vocabulum *silentio* ineptissimam tautologiam exhibet.

Ann. III, 55: *poena ex legibus et metus.* Deinde autem — et jam ad graviora venio — vitiose dicta sunt illa verba. Namque de ordinibus mentio fit, et in iis quae sequuntur distinguitur inter primores senatus, nobilitatem, equites. Sed nemo nescit, Romanorum duos tantum ordines exstitisse: senatorium et equestrem; atque etiamsi Ann. I, 7. enumerentur: consules patres eques, tamen non de tribus ordinibus sermo est. Verum enimvero et narrant aliquid, quod iis quae subinde referuntur repugnat. Etenim pone, recte id se habere, necesse est ea quae initio capitis 89 leguntur: *sed volgus et magnitudine nimia communium curarum expers populus* accipiantur ut opposita sententiae nostrae, ita ut hucusque de ordinibus sermo fuerit, et jam transeatur ad eos quae extra ordines erant. Atqui illi non ex omni parte anxii erant, ut ipse acuit Tacitus verbis: et erant e contrario cet. Itaque falsi quid indicat sententia. Neque sic explicari potest, ut nonnulli tantum ex ordinibus pavidi fuissent. — Addebatur vero ab aliquo, qui vocabulum *cura* male intellexerat (quod hoc loco omnes animi adfectus qui deinceps enumerantur complectitur), et obiter animadverterat in proxima sententia de senatoribus et equitibus agi. Perlegerat etiam Taciti scripta, et inde cognoverat, nonnumquam conjungi verba *periculum* et *metus,* quem usum hic in malam partem imitari studuit. Addo quod hic locus exstat in ea parte Historiarum, ubi Mediceus lacunam praebet, et de ea caussa refugiendum nobis est ad codices recentiores Florentinos. —

Sequuntur loci aliquot, quibus quae intercedat ratio inter duas notiones externo quodam argumento certo cognosci non potest. Quorum primum affero Hist. IV, 58: *neque aliud pretium exitus, quam fides famaque.* Sensus per se patet. Nam fama tantum vocari potest *pretium,* quod egregio facto acquiritur. Itaque intelligenda sunt verba tamquam fama fidei. Neque magis dubitari potest de Hist. IV, 62: *melior pars rubore et infamia.* Dein Ann. I, 58 ubi leguntur: *pro juventa et errore filii veniam precor* apparet, errori ignoscendum esse non juventae, ideoque verba *juventa et errore* simile significare ac *juvenili errore.* Paullo fusius disserendum est de Ann. II, 34: *virgines Vestales in foro et judicio audiri.* Sensus est: in judicio propalam exercito, sive in quaestionibus perpetuis, sive apud comitia centuri-

ata. Nam vi quadam effertur, judicium in conspectu populi exercitum esse, quia in mente erat scriptori status temporis, quo penes Tiberium summa rei publicae erant. Is enim caussas publicas magis magisque ad patres transtulit, quod multis locis a Tacito commemoratur. Sic Ann. III, 12 Tiberium in hunc modum dicentem facit: *id solum Germanico super leges praestiterimus, quod in curia potius, quam in foro, apud senatum quam apud judices de morte ejus anquiritur;* sed quod specie beneficii permittebat, ad augendam ipsius potestatem verti posse non fuit ignarus, quum ex arbitrio suo penderent patrum decreta [1]; atque fallitur Orellius Tiberium ita dixisse putans *quia populi studia metuebat.* Neque tamen omnes caussas publicas eo tempore apud patres esse actas docet Ann. II, 79: *(Piso) eludens respondit adfuturum, ubi praetor qui de veneficiis quaereret reo atque accusatoribus diem prodixisset.* Sed postea apud senatum accusatus est. — Eodem modo se habet Ann. IV, 7: *rari per Italiam Caesaris agri, modesta servitia, inter paucos libertos domus, ac si quando cum privatis disceptaret, forum ac jus.* Id enim maxime memorabile erat, quod publice Tiberius cum tali homine privato agebat, quum, ut narratur Ann. II, 34, ad Urgulaniam, quae testis in caussa quadam erat apud senatum tractata, mitteretur praetor, qui domi interrogaret. — Aliter intelligenda sunt verba Hist. II, 38: *in urbe ac foro tentamenta civilium bellorum.* Nam si tenemus, spectari turbida Gracchorum tempora — id quod ex sententiarum nexu certo colligi potest — res ipsa hortari videtur, ut cogitemus de tributis comitiis, inter quae Ti. Gracchus a senatoribus interficiebatur [2]. Etenim, quum comitia tributa plerumque in forum vocarentur, factum est ut ipsa per metonymiam *forum* appellarentur, sicuti comitia centuriata interdum designantur vocabulo *campus.* Ita apud Livium IX, 46, 11: *forum et campum corrupit* [3]. — Rursus aliter comparatus est locus Agr. 2: *in comitio ac foro urerentur,* de quo vide cap. III.

Ann. III, 9: *eaque res agitata rumoribus, ut in agmine atque itinere crebro se militibus ostentavisset.* Si vocabulum iter ad le-

1) Hoeck, röm. Geschichte, I, 3. 66 seqq. —

2) Plut. Ti. Gracch. 19. 20. —

3) Lange, röm. Alterthümer, II, 409.

gionem pertineret, prorsus supervacaneum esset, quoniam in iis, quae proxime antecedunt enarratur, e Pannonia eam Romam versus fuisse in itinere. Respicit potius Pisonem ipsum, ut indicetur eum Narniam usque una cum legione iter fecisse. Ita duo sunt, quae de eo edicuntur: sese ostentavit et in agmine et in itinere. Accedit quidem alterum explicandi caussa. Ac si quis nexum notionum vertendo exprimi vult, ita fere dicendum est: auf dem Wege den er mit dem Heereszuge zusammen machte.

Ann. III, 17: *pro Plancina cum pudore et flagitio disseruit.* Assentior Rothio, qui explicat: pudore flagitii. Nam quod Orellius proponit: pudore quem ipse vocis flexu prodebat, flagitio apud senatores, qui hanc Plancinae defensionem ut principe indignam destabantur — id veritatis speciem nullam prae se fert, quia *flagitium* apud T. non significat idem ac nostrum: Schande, sed semper: Schandthat.[1]) Sic etiam Hist. III, 34: *Antonius pudore flagitii* cet.[2]) —

Ann. III, 55: *obsequium inde in principem et aemulandi amor validior quam poena ex legibus et metus.* Afferuntur remedia, quae luxum retinent. Ne vitium quoddam committatur non prohibet poena, sed metus poenae. Dissectae vero sunt notiones, ut *metus* et *amor* sibi distinctius respondeant. Atque *obsequium* quoque et *aemulandi amor* arcte cohaerent. Nam dicitur *obsequium*, quia sponte et nullo cogente luxum omiserunt; hoc autem evenit, quod volgus omnino est pronum ad aemulanda ea, quae a principibus suis fieri videt.

Ann. XII, 42: *carpento Capitolium ingredi, qui honos sacerdotibus et sacris antiquitus concessus, venerationem augebat feminae.* Honos, ut patet, non sacris sed sacerdotibus haberi poterat eo quod una cum sacris carpento Capitolium ingrediebantur. Nipperdejus et Haaseus conservant lectionem codicis, qui habet

1) cf. quae exponentur cap. III. —

2) Muellerus, qui omnino paullo acrius in Rothium invehi mihi videtur et sine justa caussa, contendit (pag. 309) explicationem Rothii sensum fundere falsissimum, quia in iis quae sequantur referatur, senatores indignatos esse impudentiam Tiberii. Quod unde cognoverit vir doctus, me quidem latet. Ac si probat Orellii sententiam — etenim eam quam ipse profert mittamus — quomodo tunc intelligit vocabulum *pudor?*

mos pro *honos* ab Ursino primum sripto. Suspicor tamen, non dici posse: mos concessus est. Sed quoquo modo res se habet, de nostro judicio nihil decerpitur quum sibi opponi Agrippinam et sacerdotes hic intersit.

Ann. XIII, 14: *Agrippina ruere ad terrorem et minas.* Vocabulum *terror* activo sensu percipiendum est[1]); nam id praepositione *ad* indicatur, quum praepositio *in* passivam vim exprimat, ut Ann. I, 7: *at Romae ruere in servitutem consules patres eques* [2]). Terror minis efficitur, quae quales fuerint subinde narratur: *adultum jam esse Brittannicum, veram dignamque stirpem suscipiendo patris imperio, quod insitus et adoptivus per injurias matris exerceret* cet.

Adjicio tres locos e Germania desumptos. 12: *corpore infames coeno ac palude mergunt;* recte Kritzius: coenosa palude. 28. *tamquam per hanc gloriam sanguinis a similitudine et inertia Gallorum separentur;* in inertia comparebat similitudo. 33: *sexaginta milia oblectationi oculisque ceciderunt,* i. e: oblectationi oculorum [3]).

Haec sunt, quae mihi exponenda videbantur de coordinatione notionum, quarum altera alteri inhaeret. Superest ut breviter perlustrem locos ab aliis falso huc vocatos. Atque ex iis quos Rothius per figuram hendiadyoin dictos habuit, quum non satis caute ubique statuerit, haud ita pauci jam ab aliis rectius explicati sunt. Quorum maxime memorabiles hos adscribo. Ann. II, 6: *augebantur alacritate militum in speciem ac terrorem;* cui loco lucem affert Agr. 35: *in speciem simul ac terrorem.* — III. 55: *nostra quoque aetas multa laudis et artium imitanda posteris tulit;* optime intellexit Orellius ad quem relego. — ibid. *ut quis-*

1) Etiam *pudor* activo sensu legitur Hist. III, 24: *alios pudore ac probis, multos laude et hortatu — accendens.*

2) Pessime ad nostrum locum Lipsius et Gruterus conjecere: in terrorem. Bene factum est quod nemo eos audivit. Ceterum discrimen illud quomodo natum sit, facile expedias. Nam: movere se ad aliquam rem, significat: accedere ad rem ita ut tangatur ea et apprehendatur; contra: se movere in al. rem, est: totum se in al. rem inferre. Sic distinguuntur enuntiata: *conferre studium in aliquam rem,* et: *ad al. r.* (cf. Nägelsbach, latein. Stilistik, pag. 293), *se tollere in auras* et *ad auras* (cf. Wagn. quaestt. Virgil. pag. 417), similia.

3) Muellerus, falsa sua de figura hend. opinione commotus, demonstrare studet (pag 311), vocabula *oblectationi* et *oculis* esse synonyma; parum probabiliter

que opibus domo paratu speciosus per nomen et clientelas inlustrior habebatur; cf. Nipperdejum, et locum ex dial. 36: *plus notitiae ac nominis apud plebes parabat. hi clientelis, etiam exterarum nationum redundabant,* qui etiam Rothio dubitationes movit de explicatione sua. — IV, 53: *Agrippina — invidiam et preces orditur,* h. e: convicia et preces miscuerat, ut videre est ex Ann. III, 67: *codicillis quibus invidiam et preces miscuerat,* ubi confert adhuc Orellius XVI, 10: *immobilem se precibus et invidae juxta ostendit.*— XIII, 18: *quasi quaereret ducem et partes,* ducem e nobilibus, partes apud tribunos et centuriones, ut recte opinatur Waltherus. — XIV, 27: *ut consensu et caritate rempublicam efficerent,* cf. Orellium. — Hist. I, 5: *arte magis et impulsu* vide Waltherum. — Agr. 10: *spatio ac coelo* docte er explicat Wexius.

Deinde sequuntur juncturae, in quibus notiones se invicem illustrant atque efferunt, ideoque de subordinatione quadam cogitari non debet. Haec dicendi consuetudo quo abierit, jam supra ex implicatione notionum, quam vocavimus apparuit, nec aliter se habent, quae leguntur Hist. II, 20: *quamquam insigni equo ostroque veheretur,* ubi duo edicuntur, quibus equus effulserit: decor totius habitus et species ostri. Sed usitatiora sunt exempla ut Ann. I, 58: *fidei et constantiae dies,* quae verba significant et: treue Beständigkeit, et: beständige Treue; Ann. III, 74: *gaudio et impetu:* ungestüme Freude, et: freudiger Ungestüm. Ann. I, 68: *clamore et impetu.* Hist. II, 70: *clamore et gaudio.* IV, 49; *gaudio clamoribusque.* IV, 53: *studio laetitiaque.*

De multis locis in cap. I egi, quos alii aliter intellexerunt, quorum tamen sententias omnes conferre longum videbatur. Ac tota quaestio de iis, quae a Tacito per figuram hend. dicta sunt, novam puto induet faciem, quum unde exorta sit illa et quomodo cum vulgari consuetudine dicendi cohaereat accuratius demonstratum sit. Pauca tantum restant enuntiata, de quibus in extrema disputatione brevem mentionem injicere liceat.

Hist. I, 50 *non senatus modo et eques, quis aliquia pars et cura reipublicae sed volgus quoque palam maerere.* Locus ab aliis aliter intellectus. Statim quod mihi videtur proferam. Est pars reipublicae iis penes quos sunt magistratus et potestates, et eligebantur hi maxime ex senatoriis viris atque equitibus. Horum igitur plurimum intererat, quis imperio fungeretur, quum ex

magna parte salus eorum in illius arbitrio posita esset. Unde intelligimus, *cura* h. l. significare id, quod nos dicere solemus: Interesse, porro *et* designare consecutionem. Curam quandam fovebant reipublicae, quia suam ipsorum incolumitatem curabant. Nam volgus magnitudine nimia communium *curarum* plerumque expers erat, ut ipse ait scriptor Hist. I, 89. Inest igitur acerbitas quaedam, quum toti sententiae haec videatur subesse cogitatio: quibus aliqua pars, ideoque cura reipublicae, ut exspectari poterat, quum iis ex republica lucri aliquid exuberaret; sed etiam volgus ceteroquin stultum et cuilibet parens memoria bellorum civilium maerebat. De sincero patriae amore nil dicitur. — Hist. III, 35: *in Brittaniam inde et Hispanias nuntios famamque, in Galliam Julium Calenum tribunum, in Germaniam Alpinium Montanum praefectum cohortis, quod hic Trevir, Calenus Aeduus, uterque Vitelliani fuerant, ostentui misere.* Perperam Orellius figuram hendiadyoin statuit. Perperam et Doederlinus explicat hisce verbis: partim nuntios publice misere, partim famae reliquerunt, ut res gestae illic sponte innotescerent. Vocabulum *famam* opponitur *ostentui*. Namque id dicere vult scriptor, in Brittanniam et Hispaniam famam tantum pervenisse victoriae, in Galliam vero Germaniamque manifesta et gloriosa victoriae indicia, scilicet ipsos Calenum et Montanum. Itaque vocabulum *famam* ex iis quae antecedant consequi cogitandum est, id quod Germanice reddas hunc fere in modum: nach Brittannien und Spanien sandten sie Boten und somit die blosse Kunde, dagegen aber cet. Prorsus aliud est, si explicatur: nuntios qui cladem pervulgarent. Germ. 38: *in altitudinem quandam et terrorem ornantur.* Discrimen inter *altitudinem et terrorem* atque *altitudinem terrificam* id est, quod illud *consilium* eorum qui se ornabant magis exprimit, hoc nil nisi effectum miri illius ornatus. — Item posterius ex priore consequitur Ann. IV, 33: *obvia rerum similitudine et satietate;* neque vero dici potest cum Rothio: *obvia* satietate, sed res narrandae atque sibi simillimae obviae sunt.

Loco Agr. 6: *idem praeturae tenor et silentium,* per epexegesin additur *silentium* ad *idem*: ebenso brachte er die Zeit seiner Praetur hin, *nämlich* in Stillschweigen. Paullo infra praeeunte Rothio etiam Wexius verba *ludos et inania honoris* hend. exhi-

bere judicat, Sed cur tam nefarie circumcidamus sensum? *et* **valet** *et omnino.* Quae fuerint haec inania honoris praeter ludos ipse Wexius in prolegg. pag. 170 adjuvante Livio (34, 57) nos docet. Idem vir doctus de Hist. III, 24: *omnes spe promissisque accendens* tale suffragium tulit. Sed *spes* est: spes victoriae, *promissa:* promissa praemiorum praedaeque.

Ann. II, 72: *cum magnitudinem et gravitatem summae fortunae retineret, invidiam et adrogantiam effugerat.* Male fecit Rothius, quod explicuit: invidiam quae adrogantia movetur. Sane ea non intelligitur, sed invidia quam ipsa fortuna gignit summa. Tanta erat comitate Germanicus ac mansuetudine, ut, quod alias fieri solet, summo ejus fastigio non invideretur, ut simul nihil in eo esset ob fortunam adrogantiae. — Idem in Ann. II, 82: *passim silentia et gemitus* nescio quid viderit, quum clarissimam habeant interpretationem ex iis quae sequuntur: *nihil compositum in ostentationem* et paullo post: *altius animis maerebant.* — Item Ann. III, 36: *probra et invidia.* — Hist. II, 12: *blandiebatur coeptis fortuna, possessa per mare et naves majore Italiae parte.* Inepte explicatur: per naves mare tenentes, tamquam etiam de navibus in terra cogitari posset. Si nihil aliud volebat Tacitus, verba *per mare* omnino omittenda erant. Sed res in eo est quod ad enuntiatum poetice et quaesite dictum aliud in explanandi finem additur. Facete enim Tacitus per *mare* possessam Italiae partem dicit, quia mare imprimis ut terrae oppositum cogitatur[1]: mittelst des Wassers besass man das Land[2]. —

CAPUT TERTIUM.

DE CONJUNCTIS NOTIONIBUS, QUAE SIMILIA SIGNIFICANT. — DE RESPONSIONE MEMBRORUM.

Commissurae verborum, de quibus disputavimus in iis quae praecedunt, ita comparatae erant, ut ad unam eandemque rem designandam conjungerentur notiones diversae, et quarum altera

1) Vide Wagnerum ad Verg. Aen. X, 377.

2) Similis verborum lusus invenitur Hist. I, 65: *unde aemulatio et invidia et uno amne* **discretis connexum** *odium,* et Hist. IV, 1: *interfecto Vitellio bellum magis desierat quam pax coeperat.*

plus valeret. Alius autem Latinorum usus est, si ad eundem finem componuntur notiones simillima significatione et pari gravitate, eae quae synonyma vulgo dicuntur. De qua ratione jam accuratius agere in animo est.

Synonymia ex veterum rhetorum definitione est: communio nominis. Utimur autem, ut ait Aquila Romanus [1]), eo genere elocutionis, quotiens uno verbo non satis videmur dignitatem aut magnitudinem rei demonstrare, ideoque in ejusdem significationem plura conferuntur. Itaque si quis disserere vult de synonymis, id ita intelligi debet ut aut verba quae ad significandam unam eandemque rem conjuncta sint, colligat demonstretque, revera ea inter se cognata esse, aut contra ostendat, quid inter verba quae vocantur synonyma sit discriminis. Longe facilior est quaestio prior neque magnus ex ea fructus redundat. At maximi momenti altera est. Quare gratias habeamus hominibus doctis, qui huic parti artis philologicae operam navaverunt. Nam apparet, nihil fere posse tam facile ad detrimentum hermeneuticae artis converti, quam si acquiescatur in intellecta sola verborum similitudine, neque uniuscujusque vocabuli vis quam accuratissime et distinctissime in quantum fieri potest expediatur.

Sed ab iis qui in hoc studium incubuerunt, res ad finem perducta minime est, id quod ne ipsi quidem voluerunt. Namque licet de multis vel plurimis notionibus jam inter omnes convenerit, tamen restant non paucae, quas suo quisque modo distinguere scriptor atque usurpare solet[2]), vel quibus usum quendam poetarum imitatus, a communi dicendi consuetudine recedit. Haec igitur seorsim tractare operae valde pretium est. — Verum ne id quidem in mente habeo, ut omnia quae proprio ac peculiari modo a Tacito usurpantur synonyma continuo ordine explanem — quod opus alii aggrediantur doctiores et linguae Latinae magis periti, — sed tantum quae hinc illinc nova mihi collegisse videor, infra in conspectum dabo.

1) Rhetores Latini minores ed Halm, I, 34.

2) Ut omittam eas, de quibus certum judicium utique non prolatum est, quemadmodum: exsul et extorris, quum ii qui adhuc collati sunt loci ea non praebent indicia, quibus ad dignescenda verba illa opus est.

Tum vero id agendum erit, ut leges quas in componendis synonymis secutus sit scriptor perspi cere studeamus. Quae erit altera pars commentationis. Sub finem nonnulla de responsione singularum notionum ex peropportunitate addam.

1. Hist. I, 52: *sordem et avaritiam Fonteji Capitonis.* Idem enuntiatum redire videtur cap. 60: *per avaritiam ac sordem contemptus exercitui,* quamquam Mediceus praebet *sorde,* quod Haaseus mutavit in *sordes.* Duo verba in unum colligebant interpretes, atque explicabant: schmutziger Geiz, non reputantes id solo verbo: *sordes* jam indicari, eoque *avaritia* prorsus superesse. Puto loco Horatiano quodam nos ad rectum perduci. Legimus sat. I, 6, 68: *si neque avaritiam neque sordes aut mala lustra objiciet,* ubi pari vi sibi opponuntur avaritia et sordes, contra in unam generaliorem notionem comprehenduntur sordes et mala lustra, ut apparet e particula *aut*[1]). Unde videtur posse concludi vocabulum *sordes* non esse dictum de avaritia, sed de moribus illiberalibus atque inhonestis. Ita vero si accipimus locos duos Tacitinos, sequitur ex implicatione notionum, intelligenda esse et foedam avaritiam et quae alia sunt pravi hominis.

Hist. I, 65: *salutem incolumitatemque Viennensium.* Doederlinum non putaverim recte judicasse, quum is [2]) vocabula *incolumis* et *salvus* ita diversa esse velit, ut prius plus exprimat, alterum vero nihil sit nisi prioris conditio negativa. Pertinet *incolumis* ad externam actionem, ut proxime accedat ad vim vocabulorum: intactus, integer (unberührt, unversehrt;) *salius* autem statum quendam designat. Hoc nostro loco vocabulum *salus* respicere ad eversionem quae antea nominetur, *incolumitas* ad direptionem urbis probari non potest. Sed ad confirmandum judicium meum haec affero exempla: Hist. I, 69: *impunitatem salutemque civitati impetravere,* ubi *impunitatem* ex eadem cogitatione dictum est, ac supra *incolumitatem.* I, 84: *aeternitas rerum et pax gentium et mea cum vestra salus incolumitate senatus firmatur,* aeternitas — pax — salus. Agr. 44: *potest videri etiam beatus incolumi dignitate, florente fama, salvis affinitatibus et amicitiis futura effugisse.* Cadit etiam in nostram sententiam locus a Ramshornio allatus [3]) ex Hor. carm. 4, 10, 8; *incolumes genae.*

1) De hoc usu plura reperies cap. VI.
2) Synonyma III, 306.
3) Lateinische Synonymik II, 51.

Hist. I, 87: *addidit classi urbanas cohortes et plerosque e praetorianis, vires et robur exercitus.* Item II, 11: *plus virium ac roboris. vires* (Streitmächte) dicuntur, si bellum et proelia ipsa spectantur, *robur* notionem per se consideratam atque in unum comprehensam exprimit. Germ. 6: *plus penes peditem roboris.* 30. Agr. 12. Liv. 21, 1: *neque his ipsis tantum umquam virium aut roboris fuit,* ubi vide Weissenbornium.

Hist. II, 37: *fastidio utriusque principis, quorum flagitia ac dedecus apertiore in dies fama noscebantur. Flagitium* Ramshornio[1]) significat: Schandthat, Niederträchtigkeit; *dedecus*[2]): Schimpf, Unehre. Sic et Doederlinus[3]). Quos si sequimur interpretandum erit: dedecus ex flagitiis exortum. Sed ad aliud judicium convertamur necesse est, si in comparationem adhibemus Hist. V, 22: *vigiles flagitium suum ducis dedecore excusabant.* Hic enim *flagitium* appellatur, quod vigiles incuria atque oscitatione irruptionem Germanorum nocturnam non animadverterant; *dedecus* vero, quod dux stuprum fecerat cum Claudia Sacrata eoque munia neglexerat. Itaque colligendum est, *dedecus* a Tacito dici metonymice pro omni genere stupri, quemadmodum *quies* usurpat pro *somnium* (Ann. II, 14); *venenum* pro *veneficium* (quod paullo antea exstat, Ann. IV, 10); *matrimonia* pro *conjuges* (etiam haec vox proxime antecedit — Ann. II, 13 — ut compareat, variandi caussa positum esse abstractum pro concreto)[4]). Addiderim pro domo Suet. Aug. 68: *prima juventa variorum dedecorum infamiam subiit: Sextus Pompejus ut effminatum insectatus est, Antonius adoptionem avunculi stupro meritum* cet. quae omnia sunt ejusdem generis. Ceterum hic locus ostendit, et alio modo usum Tacitinum cum Suetoniano congruere. Namque ut ibi ex factis quae ad stuprum pertineant natam esse *infamiam* narratur, ita eodem vocabulo ad eandem rem significandam utitur Tacitus cap. antec. spectans id quod in iis quae sequuntur de duce refertur: *(dux) quamquam periculum captivitatis evasisset, infamiam non vitavit.* Ergo videmus eam quam in vocabulo *dedecus* inesse voluerint significationem Doederlinus et Ramshornius, apud Tacitum et Suetonium in *infamiam* cessisse.

1) I, pag. 296. — 2) II, pag. 25 seq. — 3) Synon. IV, 195. — 4) Plura apud Weinkauffium I. 38.

Hist. II, 46: *ire in aciem, excitare partium fortunam furore quodam et instinctu flagrabant.* Non mihi in mente est, molem explicationum ad haec verba prolatarum pro parte mea cumulare, sed Rittero adstipulor, cui *furor* effectum, *instinctus* caussam significare videntur. Mirum quod id tam multos homines doctos fugit, quin quod plane in contrarium disputat Pabstius eclog. Tac. p. 297. Erratum etiam a Ramshornio, qui dicit[1]) *furorem* esse conditionem ex externa quadam caussa natam, id quod omnino exprimatur syllaba finali, quae est *or.* Etenim nihil aliud indicat nisi speciem externam ex instinctu, interiore caussa, exortam. Verg. Aen, VI, 102: *ut primum cessit furor et rabida ora quierunt* (vocula *et* est explicativa.) Caes. b. g. VII, 42: *adjuvat rem proclinatam Convictolitavis, plebemque ad furorem impellit, ut facinore admisso ad sanitatem reverti pudeat.* Quinctil. VI, 1, 31: *populum Romanum egit in furorem praetexta C. Caesaris praelata in funere cruenta. Instinctus* saepe de divina quadam incitatione dicitur, ut poetarum. Ann. XIV, 16: *quod species ipsa carminum docet, non impetu et instinctu, nec uno ore fluens;* participio in hunc modum utitur Quinctil. X, 1, 81: *non hominis ingenio, sed quodam Delphico oraculo instinctus.* XII, 10, 24: *instinctis divino spiritu vatibus.* E dialogo Weinkauffius[2]) attulit: *concitatus et velut instinctus* (cap. 14), comparans Agr. 35: *instinctos ruentesque.*

Hist. II, 77: *discrimen ac pericula ex aequo patiemur.* Hoc enuntiatum ideo commemoro, quod usitatius vocabula inverso ordine se excipiunt: pericula ac discrimen. Nam jure Doederlino[3]) designat *discrimen* temporis punctum quoddam, at *periculum* longiorem temporis tractum. Quo fit ut periculum magis magisque ad discrimen adsurgere plerumque cogitemus[4]), ut porro Livio liceat dicere: *in ipso discrimine periculi* (VIII, 24, 12). Sed e contrario etiam de periculo discriminis dici potest. Id exstare atque eminere videtur maxime Hist. I, 68: *illi ante discrimen feroces, in periculo pavidi,* ubi *discrimen* tamquam temporis punctum opponitur spatio temporis quod antecessit; postquam vero incidit cogitatur tamquam per longius tempus se ex-

1) I, XXXVI et 499. — 2) I, 18. — 3) V, 264. — 4) cf exempla apud Doederl. l. c. et Ramshorn. I, pag. 371.

tendens. Haec est ratio paullo insolentior dicendi[1]). cf. Hist. III, 40: *discrimen pugnae.* —

Omnibus locis ubi apud Tacitum conjuncta invenias vocabula *invidia et aemulatio* observari potest implicatio quaedam notionum, ita ut invidia non ad significationem vocabuli *odium* accedat, sed tenuiore sensu accipienda sit (Neid); *aemulatio* vero significet id quod nostrum: Eifersucht, et sensu malo (bono sensu exstat ex. gr. Hist. II, 4: *aemulatio et proximi exercitus gloria*). Hist. I, 65: *unde aemulatio et invidia et uno amne discretis connexum odium,* ad quem locum bene conferatur illud Plinii quod exstat paneg. 84, 2: *nihil est tam pronum ad simultates quam aemulatio, ea porro maxime nascitur ex conjunctione, alitur aequalitate exardescit invidia, cujus finis est odium.* Hist, II, 21: *municipale volgus fraude inlata ignis alimenta credidit a quibusdam e vicinis coloniis invidia et aemulatione.* II, 101: *aemulatione invidiaque ne ab aliis apud Vitellium anteirentur pervertisse ipsum videntur.* III, 65: *erant qui occultis suspicionibus incesserent, tamquam invidia et aemulatione fortunam fratris moraretur.*[2])

Hist. IV, 46: *carptim ac singuli.* Falsa ad hunc locum Orellius scripsit. *carptim* est: intervallis interpositis, atque ad tempus pertinet; sed etiam sic singuli tantum vel perpauci una dimittebantur. Plin. VIII, 14, 16: *quae tum carptim multis obstrepentibus dixi nunc per otium jungere.*[3]) Innata vis est: per partes quae non cohaerent (fere: stückweise). Sall. Cat. 4, 2: *res gestas populi Romani carptim ut quaeque memoria digna videbantur, perscribere.* Suet. Dom. 9: *subsiciva, quae divisis per veteranos agris carptim superfuerunt.*

Hist. IV, 63: *invisa civitas opulentia auctuque.* Duplex esse potest significatio vocabuli *auctus.* Nam aut exprimit conditionem ipsam accrescendi, ut Ann. II, 33: *auctu imperii adolevisse etiam privatas opes;* aut id ex quo incrementum constat. Hist. IV, 28: *at Civilem immensis auctibus universa Germania extollebat.*

---

1) Amat Tacitus vocabula saepe et certo quodam ordine nominata invertere, ita ut junctura novam quandam faciem induat. Sic etiam Hist. III, 68: *jus necis vitaeque,* pro vulgari: *jus vitae necisque.* Ann. XV. 63: *rogat oratque.* — 2) cf. insuper Ramsh. I, 43. — 3) vide Holstein, de Plinii minoris elocutione pag. 32.

Sed pluraliter tantum sic usurpatur [1]. Certe nostro loco prima valet significatio: deducta enim erat colonia Agrippinensis Anno 50 optante Agrippina [2]; celerime igitur effloruer at.

Ann. II, 69: *et reperiebantur solo ac parietibus erutae humanorum corporum reliquiae, carmina et devotiones et nomen Germanici plumbeis tabulis insculptum. carmina* sunt: Zauberformeln. Ovid. amor I, 8, 5: *illa magas artes Aeaeaque carmina novit.* Tib. I, 2, 43: *hanc ego caelo ducentem sidera vidi, Fluminis haec rapidi carmine vertit iter.* cf. Prop. I, 1, 24: *devovere,* ut exprimit ipsa verbi compositio, significat praecipue: inferis aliquid sacrare, itaque saepissime congruit cum nostro: verwünschen, ut Hor. carm. III; 4, 27: *devota non exstinxit arbos,* et tralato sensu lepidissime Tib. I, 5, 43: *Tunc me discedens devotum femina dixit, Et pudet et narrat scire nefanda meam. Non facit hoc verbis, facie tenerisque lacertis, Devovet et flavis nostra puella comis.* Substantivum *devotio* quantum ego quidem scio, apud scriptores aureae aetatis alio semper sensu obviam est. Sed ut patet ex exemplis a Boetttichero in Lexico Taciteo collectis Tacitus tali vi id usurpat, qualem verbum exhibet. Etiam *carmen* ea quam dixi significatione adhibet, cf. Ann. II, 28: *ut infernas umbras carminibus eliceret.* Proinde et nostro loco ita discriminandum erit. Intelliguntur carmina ex. gr. ea, quibus sacrificia vel vota ad incolumitatem Germanici nuncupata, vel remedia quibus ad sublevandum morbum utebatur, irrita redderentur, vel ejusmodi alia.

Ann. VI, 38: *ornat (Tiberius) Phraaten, accingitque paternum ad fastigium, destinata retinens, consiliis et astu res externas moliri, arma procul habere. consilia:* bedächtige Pläne. Ann. XI, 26: *insontibus innoxia consilia, flagitiis manifestis subsidium ab audacia petendum.* Sic apte bello opponuntur cum impetu gesto: Ann. XIII, 6: *pleraque in summa fortuna auspiciis et consiliis, quam telis et manibus geri* (das Meiste werde in der Stellung eines Kaisers viel mehr durch göttliche Begünstigung und besonnene Ueberlegung, als durch Kriegsgeschosse und blindes Drein-

1) Nam quod Hist. I, 12 in nonnullis editionibus legitur *eodem auctu invisior,* scriptum est ex conjectura ad modum dubia Loctii et Acidalii. Ambigitur Liv. 27, 26, 14, ubi vide Weissenb.

2) cf. Ann. XII. 27.

schlagen ausgeführt)[1]). — *astus* apud T. semper ad bellum spectat[2]). Ann. II, 20: *nihil ex his Caesari incognitum; consilia locos, prompta occulta noverat, astusque hostium in perniciem ipsis vertebat.* XII, 33: *sed tum astu locorum fraude prior, vi militum inferior, transfert bellum in Ordovicas*[3]). XII, 45: *nihil tam ignarum barbaris, quam machinamenta et astus oppugnationum.* — Ann. II, 64 significat machinas, quae ad vitandum bellum struuntur: *laetiore Tiberio, quia pacem sapientia firmaverat, quam si bellum per acies confecisset. igitur Rhescuporin quoque, Thraeciae regem astu adgreditur.* Sic etiam nostro loco usurpatum videtur. — Non silentio praetermittendum est, Tacitum hic videri imitatum esse versum Vergilianum, qui legatur Aen. XI, 704: *consilio versare dolos ingressus et astu* atque simillima illum significatione. — Vox *astutiae* (num etiam singulari numero apud T. inveniatur, nunc ipsum non habeo in memoria) usurpatur de fallaciis et pravo sensu (Ränke): Ann. XIII, 38: *cuicumque mortalium, nedum veteri et provido duci, barbarae astutiae patuissent: ideo artum inde numerum finiri et hinc majorem offerri, ut dolus pararetur. dolus,* ut hoc ipso loco videas, semper adhibetur ipsius *facti* dolosi respectu habito, id quod cognosces hisce exemplis: Ann. XII, 32: *non ausis aciem hostibus, vel si ex occulto carpere agmen temptarent, punito dolo.* 44: *sed vim differendam, et potiorem dolum, quo incautum opprimerent.* 66: *ne admotus supremis Claudius, et dolo intellecto ad amorem filii rediret.* XIII, 1: *prima novo principatu mors Junii Silani — per dolum Agrippinae paratur.* 16: *ne omitteretur institutum aut utriusque morte proderetur scelus, talis dolus repertus est.* — Denique in vocabulo *fraus* etiam magis

---

1) *manus* non tralate positum de militum copia, sed, ut saepe apud T., sensu genuino. Hist. III, 10: *ad tela et manus transibant.* cf. Germ 37 et Kritzium. — 2) Itaque Ann. XIV, 2, ubi haec inveniuntur: *ejusdemque libertae astu disjectum,* tralate videtur dictum esse ac facete, ut nos quoque dicimus: Kriegslist, etsi de vero bello non agitur. Magis generali sensu adjectivum *astutus* exstat Germ. 22. — 3) Male videtur Haaseus *astu* uncis inclusisse, vocabulum ut alias rarum ita utique Tacitinum; male etiam Halmius *fraude* e medio sustulisse, quum *locorum fraude* optime dicatur, ut ostendit Nipperdejus. Hujus vero interpretationem: an Schlauheit durch die Tücke des Terrains überlegen, non intelligo. Si locorum importunitate superior erat, id certe non tribuendum erat suae ipsius calliditati. Recte Rupertium *astu* cum *transfert* conjunxisse duco. Ac tamen in positione dubii aliquid remanet, quaeriturque nonne ante *transfert* transponendum sit.

exsistit notio decipiendi, quae et dissimulationem et simulationem complectitur. Cum vocabulo *dolus* in eo congruit, quod pariter ad certum quoddam factum spectat. Ann. XIII, 40 *(Tiridates) statuit postremo ostendere aciem et dato die proelium incipere vel simulatione fugae locum fraudi parare.* XII, 45: *reconciliationis specie assumpta regressusque ad patrem, quae fraude confici potuerint, prompta nuntiat.* 55: *Antiochus, blandimentis adversum plebem, fraude in ducem cum barbarorum copias dissociasset — ceteros clementia composuit.*

Aliter de his vocabulis exposuit Doederlinus (Synonym. III, 216 seqq.)

2. Jam ad indagandas leges accedamus, quibus Tacitus in componendis synonymis se videtur obstrinxisse.

Ac saepe observavi verba simillima significatione composita eo fieri diversa quod alterum ex altera cogitandi ratione positum sit, unde quam maxime efficitur dilucidum illud orationis et illustre, ac parcissismis modis. Sic Hist. II, 21: *aperti incautique,* prius ex parte eorum cogitatum est, qui urbem defendunt, alterum ex parte oppugnatorum. — Hist. III, 84: *terret solitudo et tacentes loci*[1]; vocab. *solitudo* pertinet ad Vitellium, qui solus se videt in Palatio vasto ac deserto; alterum designat ipsa loca alto et horrido silentio jacentia. *Solitudo* plane respondet nostro: Einsamkeit, neque aliter intelligenda sunt verba Ann. XIII, 55: *ne vastitatem et solitudinem mallent, quam amicos populos.* Ex aliis scriptoribus conspiciantur exempla apud Doederl. III, 226, et Ramsh. II, 482. — Ann. I, 29: *negat se terrore et minis vinci,* h. e. terrore suo, minis militum, nisi mavis etiam vocabulum *terrore* sensu activo accipi, ita ut locus eodem modo comparatus sit ac Ann. XIII, 14: *Agrippina ruere ad terrorem et minas,* de quo vide supra. Sed verisimile est, tum dixisse Tacitum: se minis et terrore vinci. — Ann. I, 42: *divus Augustus vultu et aspectu Actiacas legiones exterruit.* Ad vocab. *vultu* Augustus subjecti vicem sustinet, ad *aspectu* legiones, cf. Ann. III, 45: *viderent modo adversos et adspicerentur.* Hist. III, 17: *insignis hosti conspicuus suis.* Caes. b. g. VII, 76: *neque erat omnium quisquam, qui aspectum modo tantae multitudinis*

---

1) Verg. Aen. VI, 265: *loca nocte tacentia late:* Goebel, pag. 13. —

sustineri posse arbitraretur. — Ann. II, 80: *colle rarduo et derupto* arduus est collis expugnatoribus; deruptus, praeceps ex eorum parte qui defendunt. — XII, 35: *rudes et informes saxorum compages:* rude est opus, informis species. — Hist. I, 30: *rubor ac dedecus penes omnes;* item ex partibus diversis, ut nostrum: Scham und Schande. — Agr. 2: *ut monumenta clarissimorum ingeniorum in comitio ac foro urerentur; in comitio* intellige: ignominiose ipsis auctoribus, *in foro*: multitudine populi aspiciente[1]. — Hist. II, 56: *ceterum Italia gravius atque atrocius quam bello adflictabatur.* Ni fallor *gravius* spectat ad praedationes et devastationes Italiae, *atrocius* ad militum crudelitatem atque immanitatem. — III, 65: *verba vocesque duos testes habebant.* Rectissime Orellius: junctura hac clarius exprimere voluit testes audisse proposita et responsa ab una et ab altera parte. — Nimis fortasse quaesitum videtur, si huc traho Ann. I, 28: *si fulgor et claritudo deae redderetur.* Ac tamen non perperam de eo loco statuere mihi videor. Nam fulgor cogitatur quasi exiens de sidere quodam, vel fulmine, vel igne; at *claritudo* significat, aliquid a nobis perspicue ac distincte cerni[2]. — Dubito de loco qui est Hist. III, 13: *integros incruentosque,* possitne explicari: illaesi et qui ipsi neminem vulnerassent vel interfecissent. Per se vocabulum, quod est *incruentus* neque activum neque passivum sensum exhibet, atque ut *favorabilis* Ann. XII, 6 active, Hist. II, 97 passive usurpatur, quin ut *ignotus* Ann. II, 71 activo sensu positum invenitur, ita etiam *incruentus* hoc loco passive adhibitum esse statuere liceret. Sed contra mihi videntur facere duo loci Liviani: IV, 28, 7: *jam ne duces quidem Romani incruenti pugnant.* VIII, 29, 12: *haudquaquam incruento milite suo.* —

Amat scriptor conjungere duo vocabula sensu similia, quorum alterum tralate et poetice dictum est. Atque poeticum plerumque praecedit, ita ut per prosarium explicetur quodammodo; si sequitur, prius colore quodam poetico simul superfundit. Hist. I, 1: *obtrectatio et livor.* Agr. 41: *malignitate ac livore,* Ovid. amor. I, 15, 1: *quid mihi, Livor edax, ignavos objicis annos.* et v. 39: *pascitur in vivis livor.*

1) cf. Waltherum ad. h. l.
2) cf. Doederl. Synon. II, 85.

Hist. I, 52: *panderet modo sinum et venienti Fortunae occurreret;* aut cum Orellio accipiendum de eo qui togae sinu expasso ad accipiendum donum insperatum vel avide exspectatum obviam currit illi qui offert, aut de velis desumpta est imago.

Hist. I, 85: *ad perstringendos mulcendosque militum animos.*

III, 2: *nunc sedecim alarum conjuncta signa — operient ac superfundent oblitos praeliorum equites equosque.*

IV, 7: *sorte et urna mores non discerni.* Verg. Aen. VI, 430: *nec vero hae sine sorte datae, sine judice, sedes: Quaesitor Minos urnam movet.*

IV, 23: *quippe illis hibernis obsideri premique Germanias Augustus crediderat.* Verg. Aen. II, 332: *Obsedere alii telis angusta viarum.*

IV, 58: *si vobis non fuit cordi me duce haec castra incorrupta et intemerata servari, at certe pollui foedarique — ne sinatis.* Poetica sibi per chiasmum respondent. Verg. Aen. II, 142: *Per, si qua est, quae restet adhuc mortalibus usquam Intemerata fides.* Aen. VII, 467: *Ergo iter ad regem polluta pace Latinum Indicit primis juvenum.* Ex ipso Tacito plura collegit Boetticherus. Hist V, 18: *fluitantem labantemque militem.* Hor. epist. I, 18, 110: *neu fluitem dubiae spe pendulus hirae.* cf. Hist. II, 93.

Ann. I, 28: *noctem minacem et in scelus erupturam.* Ov. Her. 18, 85: *Nam memini cum te saevum veniente minaxque Non minus, aut multo non minus aequor erat.* cet. Trist. I, 2, 23: *Quocumque aspicio, nihil est nisi pontus et aer, Fluctibus hic tumidus, nubibus ille minax.*

Ann. I, 47: *immotum fixumque.* Orellius confert. Verg. Aen. IV, 15: *si mihi non animo fixum immotumque sederet.* — Sed Ann. XV, 5: *vetus et penitus infixum, vetus* ad tempus pertinet, *infixum* qualitatem indicat, Item: Ann. I, 4: *vetere atque insita superbia.*

Ann. I, 61: *ubi (Varus) infelici dextera et suo ictu mortem invenerit.* Ov. Amor. I, 7, 3: *Nam furor in dominam temeraria bracchia movit, Flet mea vaesana laesa puella manu.*

Ann. III, 30: *suberat tamen vigor animi ingentibus negotiis par, eo acrior quo somnum et inertiam mag is ostentabat.* Hist. II, 90: *consciis flagitiorum ipsis qui aderant, omnique Italia per quam somno et luxu pudendus incesserat.*

Ann. III, 50: *inania ac fluxa.* XIII, 19: *instabile. ac fluxum* Catull. 70, 3 seq: *mulier cupido quod dicit amanti In vento et rapida scribere oportet aqua.* Ov. amor. II, 16, 45: *verba puellarum, foliis leviora caducis, Inrita qua visum est, ventus et unda ferunt,*

Ann. III, 67: *vinclum et necessitas silendi.* Verg. Aen. VII, 203: *Saturni gentem, haud vinclo nec legibus aequam.*

Ann. IV, 1: *incautum intectumque.* Sensu tralato verbum *intectum* apud unum Tacitum invenitur, et hoc tantum loco.

Ann. IV, 69: *etiam muta atque inanima, tectum et parietes circumspectabantur.*

Ann. VI, 54: *Tiberius post tantam rerum experientiam vi dominationis convulsus et mutatus.*

Ann. XII, 7: *adductum et quasi virile servitium.* Metaphoram de habenis adductis sumptam esse, censet Orellius. Malim de arcu. Verg. Aen. V, 507: *Post acer Mnestheus adducto constitit arcu.* Ov. Met. I, 455: *Viderat adducto flectentem cornua nervo* cf. Plin. epp. I, 16: *in contionibus eadem quae in orationibus vis est, pressior tamen et circumscriptior et adductior.* Tac. Ann. XIV, 4. Hist. III, 7.

Ann. XII, 66: *de genere veneni consultavit, ne repentino et praecipiti facinus proderetur.*

XVI, 22: *habitum voltumque ejus sectantur, rigidi et tristes.* Ov. Rem. Amor. 762: *nec rigidos mores Teïa Musa dedit.*

Germ. 22: *detecta et nuda omnium mens.* Ov. Amor. I, 3, 14: *nudaque simplicitas purpureusque pudor.* Plin. ep. IV, 14, 4: *ne verbis quidem nudis abstinuisse*[1]). —

Cohaeret usus ex quo aliquoties invenimus verbum metonymicum cum alio conjunctum, quod propria vi valet. Ann. I, 52: *ad praedam et raptus.* III, 52: *ventris et ganeae.* Hist. II, 68: *apud Vitellium omnia indisposita, temulenta, pervigiliis ac bacchanalibus, quam disciplina et castris propiora.* III, 65: *mitem virum abhorrere a sanguine et caedibus.* Idem enuntiatum redit cap. 83. IV, 55: *proaviam suam divo Julio per Gallias bellanti corpore atque adulterio placuisse* (cf. Ann. XI, 29: *paelices, quorum is corpori maxime insueverat.*) Germ. 24: *extremo ac novissimo jactu de libertate ac de corpore contendant.*

---

1) cf. Holstein, de Plin. min. eloc. 19.

Non opus est ut fusius disseramus de juncturis, in quibus alterum similium verborum fortiorem vim exhibet. Adscribimus hos locos. Hist. I, 19: *facili civitate ad accipienda credendaque omnia*, quae vocabula quomodo inter se differant, optime perspicitur, si in sermonem vernaculum ea convertimus. Est vero *accipere* nostrum: das Ohr leihen, sed *credere:* für wahr halten. Hist. I, 21: *suspectum invisumque.* I, 7: *inrisui ac f. astidio.* I, 33: *janua ac limine tenus.* I, 60: *contemptus invisusque.* II, 84: *gravia atque intoleranda.* II, 91: *grata et popularia* (respectis iis quae praecedunt: omnem infimae plebis rumorem in theatro ut spectator in circo ut fautor adfectavit. Similiter Hist. I, 86: *sereno et immoto die ab Occidente in Orientem conversam.*) III, 22: *profligare ac proruere.* III, 36: *jacent torpentque.* III, 81: *propellerent proculcarentque.* Germ. 33: *maneat duretque.* 45: *cingi cludique.* Ex simili consilio proventa sunt haec: Ann. II, 35: *coram et sub oculis Caesaris.* III, 8: *palam et vitato omni secreto.* IV, 34: *novo ac tunc primum audito crimine.* XII, 37: *in novum et moribus veterum insolitum.* — Ea autem inter quae vera ad sensum diversitas dignosci non potest, apud Tacitum rara sunt. Hist. I, 88: *occultare et abdere.* Ann. XIV, 16: *ore vultuque tristi.* Verum paullo frequentius leguntur in orationibus. Hist. I, 37: *emendata et correcta.* II, 76: *abiit et transvectum est tempus.* 77: *aperiet et recludet.* IV, 74: *nihil separatum clausumve.* Ann. II, 37: *stirps et progenies.* XIV, 36: *stragem caedemque* (or. indir.). —

Sed ratio, quae saepissime nos edocere potest, quid intersit discriminis inter duo synonyma, ea est si aliis duobus verbis in iis quae praecedant vel insequantur ea respondere observamus. Qua utentes nunc aliquot locos tractemus.

Hist. I, 7: *Capitorem avaritia et libidine foedum ac maculosum. foedum* movet taedium ac fastidium (ekelhaft), sed *maculosum* ad solam libidinem spectat. Quod frustra videntur diffiteri Ritterus ad h. l., et Nipperd. ad Ann. XIII, 33; namque praeter unum locum non facile alium sensum praebere potest. Hist. II, 30: vocatur Valens foedus ac maculosus, quem Hist. I, 66: stupra et adulteria sectatum esse, III, 41 adulteriis ac stupris hospitum domus polluisse legimus. L. Vitellium omni *dedecore* maculosum fuisse ex Hist. III, 38 accipimus, quo loco ipsa vox

dedecus argumento est; accedit, quod III, 77: *infamis* vocatur. Horatius carm. IV, 5, 22 eodem sensu dicit: *mos et lex maculosum edomuit nefas.* Et quidni sumamus, etiam Ann. XIII, 33 hanc significationem valere: — *Cossutianum Capitonem maculosum foedumque?*

Hist. II, 5: *(Mucianus) aptior sermone, dispositu provisuque civilium rerum peritus.* Habet utrumque vocabulum in iis quae antecedunt id cui opponatur. Nam *dispositu* contrarium est verbis *cibo fortuito* (regelmässige Lebensweise), *provisu* ex parte adversa habet *veste habituque vix a gregario milite discrepans* (Sorgfalt in der äussern Erscheinung).

Hist. II, 12: *non Italia adiri nec loca sedesque patriae videbantur. tamquam externa litora et urbes hostium urere vastare rapere.* Sedes a locis ita differunt, ut de iis tantum locis dicantur, ubi homines habitant vel commorantur, quod verbo *loca* non necessarium est indicari. Itaque sibi respondent: loca et externa litora; sedes et urbes hostium. cf. Dial. de or. 12: *secedit animus in loca pura atque innocentia, fruiturque sedibus sacris.*

Hist. II, 97: *integrum ac favorabilem proconsulatum Vitellius, famosum invisumque Vespasianus egerat.*

Hist. V, 5: *Liber festos laetosque ritus posuit Judaeorum mos absurdus sordidusque.* Chiasmus inest. *festus et sordidus* designant speciem externam, *laetus* et *absurdus* ad naturam interiorem pertinent.[1]) cf. Germ. 40: *laeti tunc dies, festa loca, quaecumque adventu hospitioque dignatur.*

Hist. II, 73: *nam etsi vagis adhuc et incertis auctoribus erat tamen in ore famaque Vespasianus.* Enuntiatum *in ore famaque esse* mihi rarum videtur; usitatum est simplex illud: in ore esse. Sed ad explicandum hunc locum optime affertur Hist. II, 78: *has ambages et statim exceperat fama, et tunc aperiebat; nec quicquam magis in ore volgi. crebriores apud ipsum sermones.* Elucet enim, per gradationem quandam ab incertiore ad certius assurgi. Itaque *in fama esse* magis ambiguum quoddam indicat, quam *in ore esse.* Eadem intercedit ratio inter *incertus* et *vagus;* certe hoc loco ipsâ membrorum congruentiâ inculcatur, quum *vagus* sine dubio ad *in ore esse* trahendum sit (hin- und her erzählen). Praeterea hoc judicium alio loco nititur. Is exstat Ann. I, 11:

1) Non bene conjecit pro *absurdus*: *abstrusus* Ed. Wurmius.

Tiberio etiam in rebus, quas non occuleret, suspensa semper et obscura verba; tunc vero — in incertum et ambiguum magis implicabantur. Hic dubitari non potest, quin sibi respondeant *ambiguum* et *suspensa;* est enim ambiguum id, quod quamvis variarum explicationum copiam praebeat, tamen ab initio sensum quendam fundit, (quare etiam oracula vocantur: *ambages*: Hist. II, 78. Verg. Aen. VI, 99), et similiter *suspensum* quod solido fundamento caret, atque de ea caussa huc illuc moveri potest. Quae significatio insuper firmatur eo quod, ut apparet, a suspenso ad obscurum gradatio quaedam a scriptore efficitur. Sequitur, vocabula *obscura* et *incertum* ex aequo posita esse: quum autem *obscurum* id designet, quod omnino intelligi atque expediri vix potest, sumendum est, similem vim latere in vocabulo *incertum.* Sic Ann. I, 25: *murmur incertum,* h. e. ex quo distincta ac clara verba accipi non poterant.

Hist. IV, 52: *bono esse animo jubet, belloque et armis rem publicam attollere; sibi pacem domumque curae fore.* In utraque junctura praecedit vocabulum generalius, ad quod additur aliud tamquam accuratior explicatio. — Hist: II, 4: *duro et arduo opere ob ingenium montis et pervicaciam superstitionis.* Membra sibi per chiasmum respondent. —

In universum multum diligentiae contulit Tacitus ad accuratam verborum congruentiam ac responsionem. Qua in re fit, ut studio variandi commotus plerumque utatur diversis ad conjungenda verba particulis, id quod exemplis modo congestis jam poterat observari. Sed liceat nonnullos addere locos, quibus non de synonymis agitur, praesertim ut usus copularum ex omni parte clare perspiciatur. Ann. III, 31: *quorum in pecuniam atque famam damnationibus et hasta saeviebat* (cf. Nipperd.). Hist. II, 62: *degenerabat a labore ac virtute miles adsuetudine voluptatum et contemptu ducis.* Ann. III, 26: *pro modestia ac pudore ambitio et vis incedebat;* resp. per chiasm.[1]) At eaedem par-

1) Quin etiam in formulis, quae sensim ad certum usum coaluerunt, variat copula. Hist. I, 55: *senatus populique Romani.* 56: *senatus ac popul Romani.* II, 32: *senatum et populum R.* — Ann. III, 23: *aqua atque igni arcebatur.* 38: *aqua et igni interdictum reo.* — Hist. III, 34: *Ti. Sempronio et Cornelio consulibus.* IV, 38: *Vespasianus iterum ac Titus consulatum inierunt.* I, 77: *Caelio ac Flavio Sabinis in Julias, Arrio Antonino et Mario Celso in Semptembres.*

ticulae usurpantur: Ann. I, 75: *ceteri silentium et paupertatem confessioni et beneficio praetulere.* I, 2: *tuta et praesentia quam vetera et periculosa malle* (chiasm.). — Ut per se patet, inveniuntur etiam duo paria verborum, quae sibi non respondent, et cavendum est ne in his rebus subtiliore ingenii acumine usi scriptorem accuratiorem magisque ad certas leges loquentem faciamus, quam ipse voluit. Sic. Ann. IV, 1: *modo largitio et luxus, saepe industria ac vigilantia,* ubi responsionem is tantum reperiet qui ipse eam intruserit.

Duo paria, quorum singula verba per *que* connexa sunt, plerumque in universum tantum sibi respondent, ex singulis partibus non item [1]. Hist. I, 49: *caput per lixas calonesque suffixum laceratumque.* Germ. 41: *quum ceteris gentibus arma modo castraque ostendamus, his domos villasque patefecimus.* Caussa repetenda est ex vi ac natura particulae *que.* — Sed si alterius tantum paris verba per *que* conjuncta sunt, alterius vero particula *et* vel *atque* vel *nec,* illud modo ut totum quoddam huic opponitur, modo ambo ex partibus suis sibi respondent. a) Ann. XIII, 35: *vallum fossamque quasi nova et mira viserent.* Germ. 43: *Marsigni et Buri sermone vultuque Suevos referunt.* Idem de disjunctivis particulis valet. Hist. II, 68: *legati tribunique ex moribus imperatorum severitatem aemulantur vel tempestivis conviviis gaudent.* Ann. I, 44: *si tribuni si legio industriam innocentiamque adprobaverat, retinebat ordinem; ubi avaritiam aut crudelitatem consensu objectavissent, solvebatur militia.* — b) Ann. II, 26: *cum a Cheruscis Longobardisque pro antiquo honore aut recenti libertate et contra augendae dominationi certaretur.* Ann. I, 41: *gemitus ac planctus militum aures oraque advertere;* nam planctus c e r n i t u r. Hist. I, 52: *sicuti modesti quietique ita mali et strenui.* Per Chiasmum: Germ. 28: *quia pari olim inopia ac libertate eadam utriusque ripae bona malaque erant.* Ann. I, 31: *non unus haec, ut Pannonicas inter legiones Percennius, nec apud trepidas militum aures alios validiores exercitus respicientium, sed multa seditionis ora vocesque.* Vocabulum *ora* dictum est per figuram quae vocatur: pars pro toto, ut apud Verg. Aen. VII, 575: *foedati*

1) Quamquam per chiasmum sibi respondere videntur Hist. IV, 18: *sic in Gallias Germaniasque intentus, si destinata provenissent, validissimarum ditissimarumque nationum regno imminebat.*

ora Galaesi, ad. q. l. plura ejusmodi exempla collegit Ladewigius. Opposita vero sunt *ora* uni Percennio, quum voces, ut palam est, militum *aures* respiciant.

Locus qui legitur Hist. III, 11: *ut olim virtutis modestiaeque, tunc procacitatis et petulantiae certamen erat,* nescio an corruptus sit. Nam et *procacitas* et vi paullo tenuiore *petulantia* soli modestiae opposita sunt, quae est observantia militaris disciplinae (cf. Ann. I, 49. 35. Hist. II, 12. 87). *virtus* autem notio est multo generalior, quae obtingit militibus probis strenuis, nulla lascivia libidine adrogantia corruptis. Atque ea quoque est caussa, cur *virtus* ac *modestia* hoc loco non accipienda sint tamquam unam notionem formantia, quum verba quae respondent, secundo soli vocabulo recte opponi possint. Porro est in quo offendamus id, quod praecedit fortius verbum, sequitur levius; sic enim semper languet oratio[1]), etiamsi quis obvertat, praepositum esse hoc loco *procacitas* eo fine ut adversus modestiam magis acuatur. Nam nihil exprimit *petulantia,* quod non etiam contineat *procacitas*[2]). Ac si credatur, ideo tantum de procacitate et petulantia sermonem esse, quia hae ex iis, quae subinde narrantur, maxime compareant, ex parte contraria eodem jure contendi potest, vocabulum *virtus,* quod tanta gravitate sub initium enuntiati positum sit, postulare aliquid cui opponatur. Adest oppositio, si scribimus *pravitatis,* qua nulla fere vox apud Tacitum crebrior. Tum inter pravitatem et petulantiam intercedit ratio implicationis notionum a Tac. valde adamata, ita ut notio pravi in petulantiam transeat, quae sic parem vim accipit ac *procacitas,* ut rursus *petulantia* pravitati aliquid suae significationis tribuat. Ex omni parte tum comparari potest Hist. I, 87: *pravus et callidus bonos et modestos anteibat,* ubi eadem exstat oppositio, eadem intercedit ratio inter verba *pravus* et *callidus,* ac hic cernitur inter *pravitas* et *petulantia.* —

Variatio illa copularum etiamtum saepissime invenitur, si sententia quaedam adjungitur alii, quae ipsa constat duobus vel pluribus enuntiatis. Apud Ciceronem frequens est usus, ex quo

---

1) cf. quae de collocatione verborum accuratissime praecipit Quinctilianus: IX, 4, 23. —

2) cf. Ramshorn, lat. Synonymik. II, 148 seq., et Hist. III, 32: *ut sunt procacia urbanae plebis ingenia, petulantibus jurgiis inluserant.*

ad totam sententiam adnectendam particula *et* adhibetur, deinde intra ipsam *atque* vel *que*. Quod etiam apud Tacitum invenias. Hist. I, 4: *plebs sordida et circo ac theatris sueta.* 10: *occulta fati et ostentis ac responsis destinatum Vespasiano liberisque ejus imperium post fortunam credidimus.* Sed inverso quoque ordine. Agr. 5: *quae cuncta etsi consiliis ductuque alterius agebantur ac summa rerum et recuperatae provinciae gloria in ducem cessit* cet. Saepe etiam sono ductus scriptor hanc vel illam particulam adhibet, sicut vidimus *et* aegre ferri ante vocabula, quae a littera *t* incipiant, *ac* raro inveniri ante *c* vel *g* [1]).

At longe frequentissime T. totam sententiam per *que* adnectit, ejusque membra per *ac* vel *et* [2]). Rarius eadem particula repetitur: Hist. I, 32: *et dissono clamore caedem Othonis et conjuratorum exitium poscentium.* Ann. III, 37: *et Considius Aequus et Caelius Cursor — auctore principe et decreto senatus puniti.* — Ceterum particulae non semper rhetorices caussa variant, sed saepe etiam diversos conjungendi modos denotant, ut par est. Germ. 46: *cetera jam fabulosa, Hellusios et Oxionas ora hominum vultusque, corpora atque artus ferarum gerere.* Ann. II, 29: *lectica delatus ad fores curiae innisuque fratri et manus ac supplices voces ad Tiberium tendens.* —

CAPUT QUARTUM.

DE COMPOSITIONE ENUNTIATORUM, QUAE FIT PER PARTICULAS *ET — ET*, *ET — QUE* CET. — DE POLYSYNDETIS.

---

1. Usus geminatam particulam *et* ponendi inde videtur originem duxisse, quod studebant Romani jam initio totius periodi indicare, enuntiata quae sequerentur aequa vi enuntiari. Nam primum *et* animos attentos tenet ad duas partes aequaliter comprehendendas [3]). Atque hac in re maxime vis et natura hujus dicendi rationis posita est. Accedit autem, quod duae illae sententiae vel notiones semper quodcumque aliud excludunt;

---

1) cf. Cap. I, §. 3. — 2) cf. Cap. I, §. 2.

3) Ut eleganter monet Handius II, 524.

ac si tamen aliquid insuper additur, id plane nova et propria sententia fieri necesse est. Quod quum de iis locis ubi duplex *et* invenimus valeat, tum maxime valet si ter vel quater repetitum est. Unde facile colligas, id esse imprimis sermonis accurate perpensi, exculti, elegantis atque numerosi. Sed habet aliquid, quod a Taciti ingenio abhorret. Nam is artem suam praecipue in eo ponit, ut plus lateat in verbis, quam ipsa indicare atque exhibere videntur. Itaque si plures sententias vel notiones ex aequo accipi vult, magis ex indole sua est id indiciis externis non praenunciare, sed relegare lectori operam intelligendi atque pernoscendi. En! habemus caussam, cur admodum raro apud eum inveniamus sententias vel notiones per *et* — *et* exaequatas. Sunt enim loci ad quadraginta septem[1]), quorum ex Agricola et Germania quindecim, ex Historiis unde viginti vel viginti, ex Annalibus duodecim excerpti sunt. Plurimi ita se habent, ut longiores sententiae ex aequo ponantur; singulorum verborum commissuras in Germ. et Agr. quater[2]), in Histor. quinquies, in Annal. sexies observavi. Porro in Annalibus, exceptis locis VI, 28. XII, 30. XV, 39. 69., semper in orationibus exstat *et* — *et*, quippe quae aliud elocutionis genus praeferant. Ex quo conspectu patet, Tacitum magis magisque stilum suum proprium et pressum excoluisse.

At duobus locis suborta mihi est suspicio, conjungere prius *et* simul totam sententiam cum iis quae praecedant. Quam ut vanam statim damnassem, nisi similis usus particularum *neque* — *neque* certo probari posset[3]), deinde vero talis brevitas ad ingenium Tacitinum bene quadraret. Loci sunt: Agr. 35: *et alloquente adhuc Agricola militum ardor eminebat*, *et finem ora-*

1) Agr. 5. 6. 9. 18. 30. 32. 33. 35. 36. 42. 43 (bis). 44. Germ. 20. 25. Hist. I, 15. 22. 37. 52. 58. 79. 81. 85. II, 8. 33. 43. 76. 80. III, 6. (alio ejusdem capitis loco num agnoscendum sit *et* — *et* propter corruptionem incertum). 10. 36. 62. 78. 83. Ann. I, 58. III, 6. 54. IV, 34. 37. 38. VI, 14. 28. XII, 30. XIV, 54. 56. XV, 39. 69.

2) Nam Germ. 11: *sed et alter et tertius dies cunctatione coeuntium absumitur, et* valet *etiam*, qui ne nos eludat usus cavendum est etiam Cap. 22: *sed et de reconciliandis invicem inimicis et jungendis affinitatibus et asciscendis principibus* cet. atque Ann. XI, 24: *sed et Tuscis obsides dedimus et Samnitium juga subiimus.*

3) cf. Cap. VI.

tionis ingens alacritas consecuta est. Hist. I, 85: *et oratio ad perstringendos mulcendosque militum animos et severitatis modus — grate accepta.*

Restant quattuor loci, de quibus pauca addiderim. Usurpatur enim *et* — *et* ita ut ad significationem vocularum *quum — tum* accedere videatur: Agr. 36: *quod et ipsis vetustate militiae exercitatum et hostibus inhabile,* et Hist. II, 76: *his pavoribus nutantem et alii legati amicique firmabant, et Mucianus post multos secretosque sermones jam et coram ita locutus.* Deinde non sine aliquo effectu legitur *et* — *et* pro *ut* — *tamen* Hist. I, 22: *genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in civitate nostra et vetabitur semper et retinebitur,* et simili modo aequiparans duas notiones contrarias Hist. III, 62: *legatus legionis et fovit Verginium et infamavit.*

Rarius etiam inveniuntur enuntiata, in quibus plus bis positum est *et.* Quorum ex Agr. nullum habeo, e Germ. unum (46), nullum ex Historiis, tres ex Annalibus (III, 54. VI, 14. XV, 39), sed quorum duo in orationibus exstent.

Si priori *et* respondet particula *que,* proprie designatur, alterum membrum non prorsus aequa vi esse positum. Quod discrimen apud recentiores evanuit. Sed Tacitus et hac ratione raro usus est. Hist. V, 5: *augendae tamen multitudini consulitur. nam et necare quemquam ex agnatis nefas, animosque praelio aut suppliciis peremptorum aeternos putant. hinc generandi amor et moriendi contemptus.* Utcumque mirus est nexus sententiarum, quia duas miscuit constructiones scriptor. Nam si accurate scribere voluisset, duas sententias: *et necare — putant* aequa vi ponere non debebat, quippe quum prima tantum caussam prioris sententiae contineret, altera vero ad aliud quoddam spectaret. Sed quum scribere incepit, jam ei in mentem venit alterum illud sententiarum par: *hinc generandi amor et moriendi contemptus,* quae prioribus accurate responderent. Sic cooriebatur implicatio illa constructionum, qua coactus scriptor sententiam quam solam confirmare voluerat: *augendae multitudini consulitur,* postea paullo mutatis verbis repetit: *hinc generandi amor,* ut rursus eam respondentem faceret iis, quae proprie probandi gratia addita erant. — Sunt vero talia Tacitum diligenter perlustranti haud raro ob-

via. Unum[1]) sufficiat adjicere exemplum, quod simile est, quum plane in contrarium modum comparatum sit. Ann. I, 4: *hunc et prima ab infantia eductum in domo regnatrice; congestos juveni consulatus, triumphos; ne iis quidem annis quibus Rhodi specie secessus exul egerit, aliud quam iram et simulationem — meditatum.* Hic primum in mente habuit scriptor duas sententias per *et* — *et* componi; sed postquam prius enuntiatum scripsit, displicuit consilium, atque apposuit alterum in modum gradationis. Quae tamen non ita accipienda sunt, tamquam negligentiae cuidam scribendi nimis indulsisset; sed haec quoque — ut omnia fere, quae mire dicta apud eum invenias — consulto fecit. Commovet enim ac placet fraus illa, quae efficit ut aliud exspectemus, aliud insequatur.

Ann. XIII, 7: *Nero et juventutem proximas per provincias quaesitam supplendis Orientis legionibus admovere, legionesque ipsas propius Armeniam collocari jubet, duosque veteres reges Agrippam et Antiochum expedire copias quis Parthorum fines ultro intrarent.* Hic est locus unicus, quo apud T. bis positum esse *que* inveni praeeunte particula *et.*

Valde deminuitur vis, si per *que* — *que* duae componuntur sententiae vel notiones, excludendi certe, quod elucet si meminimus, apud poetas saepe in eadem enuntiatione statim adnecti aliud membrum per *et,* deinde rursus aliud per *atque* vel *que,* ut Ovid. Amor. I, 8, 113: *di tibi dent nullosque lares inopemque senectam, et longas hiemes perpetuamque sitim.* Ceterum circumclusus est hic usus finibus quam arctissimis, quum apud T. tum tantum legatur, si prius verbum ad quod accedit *que* est pronomen personale[2]); Ann. II, 3: *seque regnumque*[3]). Madvigius autem si contendit[4]), *que* — *que* non inveniri nisi in sin-

1) Alius locus prorsus congruens sub finem capitis quinti in judicium vocandus erit, quare hic de eo silendum esse putabam.

2) Nam quod Ann. VI, 24 exstat: *pariterque damnatus interfectusque est,* prius *que* ita accipiendum est, ut totam sententiam adnectat. Vocabulum enim quod antecedit: *raptus* non participii vice fungitur, sed tertiam pers. sing. perf. indicat, sive legimus *interfectusque est,* sive *interfectusque, et* quod Mediceus praebet.

3) Sall. Jug. 10: *meque regnumque,* ubi vide Kritzii adnotationem.

4) Gramm. lat. §. 435, adn. 1.

gulorum verborum commissura, Tacitum respexisse non videtur, qui exhibet Ann. XVI, 16: *meque ipsum satietas cepisset, aliorumque taedium exspectarem.*

Denique si respondent sibi particulae *que — et*, vis illa aequiparandi et excludendi magis etiam tollitur, quoniam particula *que* non ipso initio sententiae locum habere potest, sed post primum demum vocabulum. Ex sede autem particulae vis hujus rationis ex maxima parte pendet. Ita singula membra magis adjunguntur, quam exaequantur [1]). Accedit plerumque *que* ad pronomen quoddam, Ann. XII, 37: *ipsique et conjugi et fratribus.* Hist. IV. 2: *seque et cohortes.* IV, 34: *seque et proximos.* 42: *seque et delatores.* Ann. I, 4: *seque et domum et pacem sustentavit.* 71: *sibique et proelio firmabat.* XII, 60: *sibique et legibus.* Raro ad aliud verbum. Ann. XIV, 31: *regnumque et domum suam* [2]). Quin etiam inveniuntur enuntiata per *que — ac* composita: Hist. III, 63: *seque ac liberos suos.* Loco qui legitur Ann. IV, 3: *seque ac majores et posteros,* Nipperdejus verba *majores et posteros* tamquam unam notionem opponi censet verbo *se,* ita ut *que* et *ac* sibi respondeant, verum particula *et* tantum connectendis duobus verbis inserviat. Sed possunt etiam omnia ex aequo dicta esse, ita ut sibi respondeant *que — ac — et;* ceteroquin enim suspicor Tacitum dixisse: *majores posterosque.* Tertia cogitari potest explicatio ea, ut *se* et *majores* ad unam coeant notionem, et sibi respondeant *que — et.* Certi quid statuere non ausim. — Ann. IV, 34: *et uterque opibusque atque honoribus perviguere,* utrum cum Acida-

1) Sic defendi potest, quod dicit Tibullus II, 4, 17: *nec refero solisque vias et qualis, ubi orbem Complevit, versis Luna recurrit equis,* quum proprie post negationem Latini hanc dicendi rationem prorsus respuant. Sed non dubito, quin quum aliis caussis tum etiam metri necessitate adductus Tibullus ita scripserit, videnturque hic posse deprehendi prima ac levissima vestigia ejus consuetudinis ex qua poetae recentissimorum saeculorum ineleganti ac fere barbaro modo *que* posuerunt expletive ac sensus ratione nulla habita. Veteres grammatici id ab optimis quoque poetis factum esse judicaverunt, ut Charisius, quum dicat (gramm. latin. III, 93 ex recens. Keilii): *que* invenitur etiam completiva ut Vergilius: (IX, 767): *Alcandrumque Haliumque Noemonaque Prytanimque.* —

2) Apud poetas et hic usus creber. Ovid. amor. III, 8, 37: *aeraque et argentum.*

lio: *opibus atque*, an cum Doederlino: *opibus aeque atque*, scribendum, an denique lectio códicis integra sit, incertum[1]). — Sed etiamsi in juncturis: *que* — *et*, *que* — *ac* debilitata sit vis aequandi, tamen utrumque membrum propriam vim ita retinet, ut valde dubito, ullane alia et arctiore ratione inter se cohaerere possint. Quare mendo infectum esse duco locum Ann. II, 6: *insula Batavorum, in quam convenirent praedicta, ob faciles adpulsus accipiendisque copiis et transmittendum ad bellum opportuna.* Verba non aliter intelligi possunt, nisi ut membra *accipiendis copiis* et *transmittendum ad bellum* sibi pari vi respondeant. Sed jam alia inter ea intercedit ratio. Namque copiae, quibus accipiendis insula opportuna erat, ad transmittendum bellum ipsae serviebant, atque posterius membrum cogitatur quasi consequens ex priore (*et* valet *et de ea caussa*, u. somit). Itaque censeo delendum esse *que*. — *atque* — *atque* apud T. non invenitur. cf. Verg. ecl. V, 23: *atque deos atque astra vocat*, quamquam et hic diffitentur hanc commissuram Wagnerus, et Lachmannus ad Prop. pag. 39. Sed tamen ita videtur explicandum esse.— Denique *et* — *atque* particulae apud Latinos aequales sententias numquam conjungunt[2]). Qui afferebatur locus Quinct. XII,10, 64, is nunc apud Bonnellium ad rectum restitutus est. —

Partes vocularum *et* — *et* haud infrequenter sustinent: *simul* — *et*, *que*, *atque*, de quo usu brevem disputationem subjungam. Patet autem, si omnia computamus, per decem genera[3]), sed quae inter se non multum sint diversa, nisi quod positione et numero verborum variatur aliquid et distinguitur. Quae propria est adverbio *simul* vis temporalis, ea quamquam saepissime retinetur, tamen etiam haud raro evanuit, ita ut *simul* — *et* idem fere exprimat, ac *et* — *et*. Id ex ipsis exemplis apparebit. a) Agr. 6: *auctus est ibi filia in subsidium simul et solatium.* Injuria Nipperd. ad Ann. XV, 48 adnotat, pertinere *simul* ad posterius verbum. Nam tum *et* positum esset

---

1) Omnino rari sunt loci ita comparati, nec enim — opinor — invenientur, qui particulam *que*, si totam sententiam adjungit, ab hoc usu distinguere nesciant, quod olim Walchio accidit ad Agr. 5. — Sed vide Wagn. quaestt. Vergil. pag. 568. —

2) cf. Hand, II, 529. —

3) Wexius, prolegg. ad Agr. pag. 68 quattuor tantum nominat.

pro *etiam*, quod fieri nequit [1]). Hoc si voluisset scriptor, haud dubie dixisset: simulque solatium, vel: et solatium simul (cf. infra) Agr. 7: *ita successor simul et ultor electus.* Agr. 24: *ignotas ad id tempus gentes crebris simul ac prosperis proeliis domuit.* Germ. 30: *Chattos suos saltus Hercynius prosequitur simul atque deponit.* — b) Agr. 19: *ceterum animorum provinciae prudens simulque doctus per aliena experimenta* cet. — c) Agr. 42: *suadentes simul terrentesque pertraxere ad Domitianum.* Germ. 31: *jamque canent insignes et hostibus simul suisque monstrati.* Ann. VI, 5: *fingebant simul credebantque* [2]). — d) Hist. IV, 34: *Vocula nec adventum hostium exploravit, eoque simul egressus victusque.* Ann. XV, 12: *simul hostem famamque.* — e) Hist. I, 89: *Scriboniani contra Claudium incepta simul audita et coercita;* cum hyperbola quadam dicitur, rem posteriorem prioris rei vestigiis quasi institisse [3]). Quemadmodum usurpatur etiam *et — et* a poetis. Ovid. Her. 12, 33: *et vidi et perii* [4]). Alius poetarum usus est si legimus Ann. I, 65: *simul haec, et cum delectis scindit agmen.* [5]) Ann. I, 5: *simul excessisse Augustum et rerum potiri Neronem fama eadem tulit.* XIV, 2: *simul suo periculo et infamia Neronis anxia.* VI, 50: *Tiridates simul fama atque ipso Artabano perculsus.* — f) Ann. III, 74: *quia ille — pluris per globos incursaret eluderetque et insidias simul temptaret.* — g) Agr. 5: *simul et anxius et intentus.* 18: *simul seque et arma et equos regunt.* — h) Agr. 36: *ac primo congressu eminus certabatur, simulque constantia simul arte Brittanni — missilia nostrorum vitare vel excutere.* 35: *veritus ne simul in frontem, simul in latera suorum pugnaretur* [6]). — i) Sed invenitur quoque *simul* sine particula copulativa initio sententiae. Hist. I, 79: *simul altitudine et mollitia nivis hauriebantur.* II, 81: *tantum simul peditum equitumque et aemulantium inter se regum paratus speciem.* — l) Denique apud T. reperitur illud ex poetis cognitum, quod *simul*

---

1) Qua de caussa etiam id quod Halmius Hist. I, 70 conjecit *simul et reputans* cum usu Tacitino non convenire videtur.

2) cf. cap. I, pag. 37. — 3) Usus particulae *simulac* eodem modo explicandus est. — 4) cf. Hand, II, 530. — 5) Ad quem locum Orellius confert simile enuntiatum ex Statii Theb. II, 659 desumptum. — 6) Sic ex Haasei scriptura. Vel cum Wexio delendum est prius *simul.* Ut est codicum lectio: *simul in frontem, simul et latere,* verba recte habere non possunt.

vice praepositionis *cum* fungitur. Differt autem ita ut semper verbo ad quod pertinet postponatur. Ann. III, 64: *pontifices et augures et quindecimviri septemviris simul et sodalibus Augustalibus.* IV, 55: *Hypraepeni Trallianique Laodicenis ac Magnetibus simul tramissi ut parum validi.* VI, 15: *Annius Pollio, Appius Silanus Scauro Mamerco simul ac Sabino Calvisio.* —

Quum per voculam *simul* proprie tempus designetur, *juxta* semper qualitatem exprimit. Rursum vocabulum, quod est *pariter* interdum temporalem vim vindicat. Hist. IV, 56: *haec dicta pariter probataque.* Ann. XIII, 39: *gloriae pariter et praedae consulerent.* —

2. Viget apud Tacitum usus polysyndeti[1]). Et saepissime invenitur, si exstant tria membra, neque interest utrum sententiis an singulis verbis constent. Germ. 26: *ut pomaria conserant et prata separent et hortos rigent.* 32: *inter familiam et penates et jura successionum equi traduntur.* Sed proceditur usque ad quinque, quin etiam ad septem membra. Hist. IV, 53: *ceteri magistratus et sacerdotes et senatus et eques et magna pars populi.* Germ. 40: *Reudigni deinde et Aviones et Anglii et Varini et Eudoses et Suardones et Vuithones fluminibus aut silvis muniuntur.* — Fit nonnumquam ut unumquodque membrum pari modo ponendo et singillatim ad animum adducendo dilucidus quidam et poeticus color superfundatur. Ann. I, 41: *pudor inde et miseratio et patris Agrippae Augusti avi memoria.* Germ. 8: *memoriae proditur, quasdam acies inclinatas jam et labantes a feminis restitutas constantia precum et objectu pectorum et monstrata cominus captivitate.* Agr. 45: *non vidit Agricola obsessam curiam et clausum armis senatum et eadem strage tot consularium caedes.* Hoc loco si nihil spectasset Tacitus nisi simplicem enuntiatorum conjunctionem *nec* posuisset vel *aut*[2]). Agr. 37: *passim arma et corpora et laceri artus et cruenta humus*[3]).

---

1) Intelligo polysyndeton, quod abundantia conjunctionum copulativarum nascitur. Proprie enim notio latius patet. vide Rutilii Lupi schemata lexeos in Halmii rhetor. lat. min. I, 9.

2) cf. Cap. VI.

3) Inutile videtur, ex ipsis poetis similia afferre. Sed monuerim, etiam hoc nostro tempore multos scriptores intrasse cupidinem poetica imitandi, atque ex magna parte quod habeant proprium ac novum in hac ipsa re cerni.

Variant *et* et *atque* sine ullo significationis discrimine. Germ. 37: *Drusus ac Nero et Germanicus.* Hist. IV, 73: *libido atque avaritia et mutandae sedis amor.* Ann. IV, 26: *regem et socium atque amicum.* Hist. II, 4: *auxilia utrique cohortium alarumque, et classes regesque ac nomen dispari fama celebre.* Hist. II, 82: *pars copiarum et dux Mucianus et Vespasiani nomen ac nihil arduum fatis.* I, 70: *Mediolanum ac Novariam et Eporediam et Vercellas*[1]).

Paullo cautius statuendum est de iis locis, ubi particulae *et* ac *que* se excipiunt. Quamquam enim multifarie significatione valent prorsus pari, tamen *que* interdum arctiorem duorum membrorum nexum indicat. Sic Hist. I, 68: *Raeticae alae cohortesque et ipsorum Raetorum juventus.* IV, 58: *sed est vallum murique et trahendi artes.* Contra Hist. III, 30: *trabibus tegulisque et facibus* particulae *que et* aequas partes sustinent, inveniturque haec junctura quum alias saepe tum saepissime, si nomina terrarum vel gentium enumerantur, ut Hist. III, 59: *Samnis Pelignusque et Marsi.* III, 70: *Hispaniis Germaniisque et Brittannia.* IV, 25: *Gallias Brittanniamque et Hispanias,* aliis locis quorum numerus abundat. Quin et locis, quales sunt Ann. I, 54: *Tiberius Drususque et Claudius et Germanicus,* atque Ann. III, 18: *Tiberio et Augustae et Antoniae et Agrippinae Drusoque,* nihil aliud efficit *que* quam particulae quae praecedunt. Addo locum, ubi omnes tres conjunctiones leguntur: Ann. II, 60: *Libya Aethiopia Medisque et Persis et Bactriano ac Scytha potitum, quasque* cet.

Patet ex natura sententiarum, quum pluribus membris pari modo conjunctis constant, postremum membrum saepenumero quasi clausulam quandam majorem gravitatem arripere. Quod quum fiat si omnia copulis connexa exstant, tum maxime sentitur si ultimum tantum particulâ adjungitur. Possunt vero distingui tria genera. Primum dico, si generalius quoddam vocabulum in fine additur, quod aut omnia quae dicta sunt uno nomine complectitur, aut ea tantum quae restant necdum nominata sunt. Priorem speciem declarat Hist. IV, 1: *ubique la-*

1) Hoc loco cur plures editores Rhenanum secuti sint, qui scribit *ac Vercellas* ignoro.

lamenta conclamationes et fortunae captae urbis; alteram frequentes loci, quibus agmen membrorum verbis *et alii, et ceteri*, similibus clauditur. Atque unus tantum invenitur locus ubi in hac commissura omissum est *et*, Ann, IV, 6 intelligo, ubi scripta habes: *at frumenta et pecuniae vectigales, cetera publicorum fructuum societatibus equitum Romanorum agitabantur.* Sed puto non audacius agi si etiam hic *et cetera* scribimus, quum praeter hunc unum locum scriptor in eo usu prorsus sibi constet; (Sed si praecedentia membra ἀσυνδέτως posita sunt, etiam id quod reliquum designat sine copula apponi potest. cf. Ann. I, 7: *excubiae arma cetera aulae.*) Alterum genus est si in postremo membro totius ductus quasi mucro sentitur, ut ait Quinctilianus (IX, 4, 30), cujus exempla legas Ann. I, 42: *hic tantum interfici centuriones, ejici tribunos, includi legatos, infecta sanguine castra flumina, meque precariam animam inter infensos trahere.* Agr. 36: *igitur ut Batavi miscere ictus, ferire umbonibus, ora foedare et stratis qui in aequo adstiterant erigere in colles aciem coepere.* — Tertii denique natura ea est, ut gradatio illa non in sensu verborum ipso posita sit, sed sola pronunciatione emineat; nam fieri solet, ut si longum orationis filum duximus, sub finem paullulum vocem tollamus. Agr. 18: *quamquam transvecta aestas, sparsi per provinciam numeri, praesumpta apud militem illius anni quies, tarda et contraria bellum inchoaturo, et plerisque custodiri suspecta potius videbatur.* — Postremo Hist. III, 32: *auxit invidiam editum illic a Caecina gladiatorum spectaculum, eademque rursus belli sedes, et praebiti in acie Vitellianis cibi, caesae quaedam feminae studio partium ad praelium progressae*, ultimum membrum ἀσυνδέτως apponitur. Quod raro invenias. —

CAPUT QUINTUM.

DE COMPOSITIONE ENUNTIATORUM, QUAE FIT PER PARTICULAS *ETIAM, QUOQUE, ET.* — DE MIRO HARUM PARTICULARUM USU.

Particulae, quae sunt *etiam, quoque, et* significant duas res, quae absolutam et propriam vim retineant, inter se commune quod habere. Id vero aut in ipsa oratione denotatum est, aut

in mente ejus qui scripsit vel locutus est haerebat nec enuntiabatur. Habent illae vim copulativam fere nullam; ideoque ut indicetur paullo accuratius conjunctio duorum membrum, copula quaedam inseratur insuper necesse est[1]. Itaque nexus est multo solutior et levior[2].

1. Distinguuntur ita, ut *etiam* fortissimum sit, *et* infirmissimum (sicut ex ipsa tenui vocula concludendum est)[3]. Sed consentaneum est, haec discrimina haud semper accurate observari, quin ne tum quidem, quum in una eademque sententia duae vel omnes hae particulae usurpentur, ut Ann. II, 55: *etiam vetera objectabat, quae in Macedones improspere, violenter in suos fecissent, offensus urbi propria quoque ira* cet. — Quod tali significatione adhibetur *et*, id intelligendum est ut dilatatio notionis quam exhibet copula; neque hanc vim prorsus obliteratam esse inde apparet, quod initio sententiae partes particularum *et etiam*, *atque etiam* una sustinet[4].

---

1) Quum trita sint haec, liceat exempla aliquot hic subjungere, ne turbetur continuus orationis ordo. Raro legitur *et etiam* (Agr. 10), saepius *et — quoque* (Agr. 24. Hist. I, 30. II, 81. IV, 8. V, 25). *atque — etiam* fere semper in gradatione ponitur, ut colligere est ex natura particulae *atque* (Germ. 42. 45. Hist. I, 6. 8. 78.) *que etiam*: Ann. III, 1. 32. — Halmius Germ. 31, ubi leguntur verba *jamque canent* proponit *etiamque*, quod vereor ut a Tacito dicatur Sed omnino non opus est conjectura.

2) Handius, quum (II, 546) naturam voculae *etiam* in accessione ponat, cardinem rerum mihi tetigisse non videtur; nam accessionem quandam etiam copulae indicant. Sed ex etymologia certae significationis nihil percipere possumus, ut fieri solet in his pusillis rebus; minime omnium hanc viam ingressi sperandum est fore ut de diversitate particularum *etiam* et *quoque* ad rectum judicium perveniamus. *Etiam* enim, quum nisi ex *et* atque *jam* coortum esse non possit, valet: *und nun, und sodann*; *quoque* haud dubie est duplicatum *que* propter primam syllabam correptam; atqui *que* additamentum indicat apponi, ergo sumendum est, *quoque* paullo fortiore modo similem vim exhibere. Sed aliud quid ne in *et jam* quidem inest. Utraque autem etymologia tam late patet, ut ex ea quidlibet elicere liceat.

3) Handius (II, 557) contendit, proprie solum vocabulum *quoque* dici de rebus aequandis; contra in *etiam* nihil inesse nisi accessionis vel amplificationis indicium. Quod quale sit discrimen non intelligo. Nimirum si *etiam* accessionem exprimit, illa ipsa re indicatur aequatio quaedam, quia tum duo membra una generaliore notione ex parte comprehenduntur.

4) Fuse nec non docte Handius de toto hujus voculae usu disputat II, 499—524. —

Saepe ab altero ad alterum membrum ascensus quidam orationis observari potest. Tamen is particulis non efficitur, sed nascitur ex ratione quae inter duo membra intercedit. Particularum significatio ne tum quidem mutatur, si ad comparativum accedunt[1]) Verum per se patet, gradationem fieri fortiorem si conjuncta sunt quodammodo membra, quam si unumquodque separatim exstat, sicut etiam in rebus magnitudine diversis distinctius perspicias, quid inter eas discriminis intersit, si proxime altera ab altera abest, quam si longe distant.

Si magis acuitur gradatio, accedit vocabulum *quin*. Apparet autem ex iis quae dixi, caussam, cur apud nonnullos scriptores *quoque* in gradatione non ponatur, ex ipsa particulae natura non repetendam esse, sed ex consuetudine dicendi. Ceterum apud T. omnes tres in ascensu orationis adhibentur[2]).

Sedem particulam *etiam* plerumque habere ante vocabulum ad quod pertineat, raro postponi ad augendam gravitatem[3]) notissimum est. Perinde vix est quod commemoremus, omnium saepissime gradationi eam inservire, saepissime conjungi cum vocabulo *quin*, cui semper postponatur. — Hist. I, 13: *eoque jam Poppaeam Sabinam — ut apud conscium libidinum deposuerat*, minor quod Orellius recepit Waltheri adnotationem, qui quum dicat: *jam* exprimit Graecorum *δή*, inservitque asseverationi. igitur *eoque jam* nihil aliud est quam *eo etiam*, idem per idem explicat. Nam in universum et *jam* et *etiam* asseverationem indicare possunt. Apud T. autem *etiam* hac significatione non invenitur. Itaque ne ex omni parte quidem vera est explicatio. — Ann. II, 31: *cingebatur interim milite domus, strepebant etiam in vestibulo, ut audiri, ut aspici possent, cum Libo ipsis — epulis excruciatus vocare percussorem* cet. Halmius scripsit *strepebant et jam in vestibulo,* credo permotus insequenti *cum*. Sed vereor ut hoc

1) Ceterum videtur *quoque* sic non usurpari.

2) Agr. 2: *memoriam quoque*. 30: *oculos quoque*. Hist. II, 41: *quieto quoque agmini*. III, 55: *inferendo quoque bello*. Ann. XI, 2: *Claudio, Messalinae quoque lacrimas excivit*. — Agr. 30: *raptores orbis, postquam cuncta vastantibus defuere terrae, et mare scrutantur*. cf. multos locos ubi *quin et* legitur. Hist. II, 89. 95. IV, 37. V, 19. —

3) Ut Ann. III, 61: *tum etiam*. VI, 18: *per Africam etiam*. XII, 65: *matris etiam interfectores*. XIV, 1: *libertatis etiam indigeret*. —

recte dicatur. Dicendum fuit *jam et*, cf. Hist. I, 22: *nec deerat Ptolemaeus jam et sceleris instinctos.* Germ. 15: *jam et pecuniam accipere docuimus.* 42: *jam et externos patiuntur.* Ea enim est diversitas formularum *et jam* ac *jam et*, ut prius *et* sit copula, alterum valeat *etiam* [1]. Praeterea nescio quid in Medicei lectione dubii sit.

Quid de sede particulae *quoque* statuendum sit, quum in universum non dubitetur, de uno loco res in ambiguo est. Ann. XI, 8: *in quos ut patris sui quoque defectores, ira magis quam ex usu praesenti accensus,* Eduardus Wurmius [2]) recte haerens in verbis *patris sui quoque* conjecit *patris suique.* Quod quamvis bene excogitatum sit, tamen probare non possum. Nam parum attinebat commemorare, Seleucenses etiam a Vardane defecisse. Neque vero adducor ut codicis lectionem veram existimen, quum et contra usum peccat, cui apud Romanos ubique obtemperatur, et illud vocabulum *sui* prorsus supervacaneum, ne dicam absonum sit. Nam de alio patre quam Vardanis cogitari nequit, minimeque conveniens est brevitati Tacitinae, addere talia quae neque perspicuitati neque elegantiae sermonis inserviunt. Itaque deprehendi hoc loco glossema apud me quidem in confesso est: neque hac in re audacius agere mihi videor, quam ii qui in eodem capite verba *ejus* et *qui* tamquam additamenta uncis incluserunt. —

Alia est quaestio num vice particulae *quoque* interdum fungi possit particula *que*, id quod visum est Rothio [3]), Waltero [4]), Kruegero [5]), in dubio reliquit Doederlinus [6]). — Ut vidimus *quoque* quum nil sit nisi duplicatum *que*, ab initio significationem exhibet haud multum quidem diversam, paullo fortiorem tamen. Sic provenit discrimen illud, apud omnes bonos scriptores obvium, ex quo fortiori voculae partes etiam fortiores tribuebantur, atque in eam abiret illa significationem, quam supra indicavi. Sed, ut apparet res est per se minime improbabilis, interdum locis, ubi de majore gravitate non ageretur, *que* transiisse in vim particulae cui proprie quam cognatissima sit. Jam vero videndum, quid doceat consuetudo ipsa dicendi Romanorum.

1) cf. Hand, III, 138.

2) Philolog. IX, 92. — 3) Exc. ad. Agric. 251 seqq. — 4) ad Annal. I, 28. — 5) Gramm. lat. §. 534, adn. 3. — 6) Prolegg. ad Tac. pag. XXVI. —

Et conveniunt, qui hanc tractarunt quaestionem, in ea re omnes, quod in una argenteae aetatis oratione hic usus inveniatur, et saepissime illic in formula quae est *hodieque* (*auch heute noch*). Quod qui neget nemo, opinor, existet. Exstat vero *hodieque* apud Tacitum semel: Germ. 3: *quod in Rheni ripa situm hodieque colitur*[1]); ex Vellejo Handius collegit tres locos[2]), item tres ex Plinio majore; apud Quinctilianum uno loco X, 1, 94 legitur[3]), nullo apud Plinium minorem[4]). Suetonius Tib. 14. exhibet: *hodieque sub aqua visuntur hi tali*, sed diversa significatione, quippe quum particula *que* simul adnectat sententiam ad ea quae praecedunt, insit igitur notio: und heute noch. Atque hoc uno modo a Cicerone quoque et Livio usurpatur[5]).— Elucet primo aspectu, hunc usum particulae *que* simillimum esse ei, ex quo *et* pro *etiam* dicatur. Nam id quoque usurpatur tum initio sententiae, ita ut duas sententias conjungat simul et ad singulare vocabulum pertineat, tum media enuntiatione unum solum vocabulum respiciens[6]). Atque ut suspicari possumus, particulum *et* notionem primum in *et etiam*, deinde in *etiam* dilatasse, ita etiam particulae *que* idem factum esse quin censeamus, nihil est quod obstet.

Comparet autem, duo illa hujus consuetudinis genera, quae in usu vocabuli *hodieque* modo observavimus, usquequaque quam distincte esse discernenda. Quod neglexerunt Rothius, Waltherus, Kruegerus. Ac posterius quidem etiam apud scriptores aureae aetatis in usu est[7]), praeter eam quam nominavimus formulam. Liv. III, 16, 4: *mansuetum id malum et per aliorum quietem malorum semper exoriens tumque esse peregrino terrore sopitum videbatur.* IX, 43, 4: *ut — per aliquot dies incerti — uterque consul ageret, Romamque is metus manaret.* Sall. Cat. 27, 4: *docet se — praemisisse — alios in alia loca oportuna, qui initium belli facerent, seque ad exercitum proficisci cupere.* Deinde apud Tac. legitur Ann. II, 37: *censusque quorundam senatorum juvit.* II, 52: *compuleratque Cinithios.* III, 14: *effigiesque Pisonis*

1) Sed dial. 34 legitur: *hodie* $\overset{o}{q}$ *q*, i. e. *quoque*, ut ex collatione codicis Pontani, quam Sauppius, V. D. benigne mecum communicavit, ipse cognovi.

2) Turs. III, 101. — 3) cf. Bonnellii adnot, cujus tamen explicationem non probaverim. — 4) Silet Holsteinius, pag. 33. — 5) Hand, l. c. — 6) cf. supra et exempla quae paullo infra dabuntur. — 7) cf. Roth. l. c. —

traxerant in Gemonias. XIV, 28: *auxitque patrum honorem,* aliis locis. —

Primum autem genus apud scriptores aureae aetatis non invenitur, et num apud recentiores recte legatur, mihi quidem valde dubium est. Certe apud T. talequid non exstare probare posse mihi videor, vel ad summam probabilitatis speciem adducere.

Ante omnia duo reputanda sunt: primum voculas *que* et *quoque* quum in aliis codicibus tum in Mediceis saepe commutatas esse, ut facile intelligi potest ex compendiis admodum similibus quibus denotari solebant[1]); deinde vero a librariis haud raro stupore quodam litteram *q* male additam esse, cujus rei exempla duo jam deprehendimus[2]), et quorum plura subinde intelligentur.

Agitur vero hisce de locis: Ann. I, 65: *en Varus et eodemque iterum fato vinctae legiones.* Hac in adhortatione Arminii cum vi et ardore animi emissa nemo non sentit, tale vocabulum ridiculum et frivolum esse; neque id homines doctos fugit, quum jam Lipsius cognosceret, copulas hoc loco male duplicatas esse, id quod redit Hist. IV 54: *per Gallias et Germaniasque*[3]).

Ann. IV, 73: *donec idque vetitum.* Muretus scripsit: *id quoque.* Et recte quidem, si cogitamus de innumeris fere locis, quibus *quoque* post demonstrativum prenomen positum apud T. invenitur. cf. Hist, II, 23: *eos quoque;* 96: *is quoque.* III, 12: *is quoque.* 26: *id quoque.* Ann. II, 26: *eorum quoque* cet. —

Ann. VI, 39: *filium Orodem ultorem parat, dat Parthorumque copias.* Hoc loco *que* cum significatione *quoque* ad sensum omnino non est congruens. Nec dubium quin delendum sit, quum Bervaldi conjectura *datque Parthorum* cet. propter insequens membrum ἀσυνδέτως appositum religiones moveat, Bezzenbergeri: *dat Parthorum Ariorumque copias* solido fundamento careat.

Restant duo tantum loci, quibus non alia etiam de caussa

---

1) cf. Her. stud. crit. pag. 166. — 2) Hist. IV, 39 et Ann. II, 6; cf. Cap. I, §. 2, et Cap. IV. — 3) Quomodo ad rectum restituatur locus, dubitari potest. Lipsius voculam *que* delevit; Haaseus Bezzenbergerum sequens edidit: *en Varus est.* Mihi propter numerum magis placet Ritteri illud: *en Varus eodemque iterum* cet. Idem vir doctus nuperrime (mus. rhen. 17, 99) de lacuna cogitavit atque proposuit: *en Varus et fuga, eodemque;* nescio an non probabiliter. —

cognoscatur, voculam *que* male se habere. Quos tamen si comparamus cum densa illorum locorum nube, ubi *quoque* legitur, mihi quidem non esse dubitandum videtur, quin et his locis *que* in *quoque* corrigamus. Sunt vero Hist. III, 48: *ut fracto Vitellii exercitu urbemque externae opis indigam fame urgeret.* Ann. VI, 25: *ac ne dubium haberetur magnitudinem pecuniae malo vertisse, aurariasque — sibimet Tiberius seposuit.* De hoc altero loco infra mihi verba quaedam addenda sunt. —

Porro commemorandum est particulam *quoque* interdum ita poni, ut duobus vel pluribus membris per copulas conjunctis ultimum paullo majore vi apponat. Ann. I, 52: *gaudebat oppressam seditionem; sed quod largiendis pecuniis et missione festinata favorem militum quaesivisset, bellica quoque Germanici gloria angebatur.* Germ. 37: *Carbone et Cassio et Scauro Aurelio et Servilio Caepione, Marco quoque Manlio fusis vel captis.* —

Denique, ne quid intermisisse coarguar, monuerim, aliquot locis apud T. inveniri: *quoque non* et *etiam non*, pro *ne quidem*, idque eo fine factum est ut negatio cum vi quadam acuatur. Sic Ann. III, 54: *credite patres conscripti, me quoque non esse offensionum avidum*, ad quem locum Nipperdejus ceteros ex Tacito collegit [1]) —

Convertamur ad voculam *et*, quae duplicem tenere potest sedem. Ac si initio sententiae exstat — quod jam tetigi — simul copulae partibus fungitur, ut valeat: und auch. Germ. 7: *et in proximo pignora, unde feminarum ululatus auditur, unde vagitus infantium;* nam illud quoque, quod uxores, liberi, parentes certantibus adsunt, maximum est incitamentum fortiter pugnandi. Hist. I, 50: *et ambigua de Vespasiano fama.* 57: *secutae ingenti certamine ejusdem provinciae legiones; et superior exercitus accessit.* III, 44: *et Brittannicum inditus erga Vespasianum favor — non sine motu adjunxit ceterarum*, quo loco sine caussa Nolte scribi voluit *at.* Ann. XII, 22: *et Calpurnia pervertitur.* — Sed neminem fugit, uno alteroque loco difficillimum esse dijudicatu, utrum vocula *et* usus sit scriptor dilatata illa vi, an solam copulam intelligi voluerit; idque praecipue iis locis ubi ab altero membro, ad alterum aut ascensus aut deminutio orationis sentitur. Adscribo aliquot exempla, relegoque lectori ut ex suo judicio

1) E Senecae epistolis locum similem affert Handius II, 498.

ea accipiat. Hist. I, 13: *neque erat Galbae ignota Othonis ac Titi Vinii amicitia; et rumoribus nihil silentio transmittentium — gener ac socer destinabantur.* Videtur hoc loco *et* valere *quin etiam;* nam Galba tantum familiaritate eos inter se conjunctos esse intellexerat, sed plura adhuc rumoribus ferebantur. Hist. II, 92: *et quidam in domum Caesaris transgressi.* Ann. III, 36: *haud dissimilia alii et quidam atrociora circumstrepebant.* Hist. I, 2: *nobilitas, opes, omissi gestique honores pro crimine, et ob virtutes certissimum exitium;* verte: *und nun gar,* nam et quae hominibus vel invitis obtigerant, vel quae ipsi non ultra liberalem modum egerant, ab imperatoribus pro flagitiis ducebantur, eminentes autem et praeclarae virtutes omnino exitiosae erant. — Loci qui deminutionem orationis continent, plerumque sic se habent ut particula *et* valeat *et insuper,* vel *accedit quod,* quippe quum id quod altero illo enuntiato indicatur non ex omni parte necessarium sit, sed superadditum nec raro superfluum esse videatur. Hist. II, 72: *postquam dictis nulla fides, et a domino noscebatur* III, 60: *paucos ad requiem dies sumunt, donec aquilae signaque legionum adsequerentur, et locus ipse castrorum placebat.* 69: *quippe miles Vitellii adversus pericula ferox, laboribus et vigiliis parum intentus erat; et hibernus imber repente fusus oculos auresque impediebat.* IV, 74: *et laudatorum principum usus ex aequo, quamvis procul agentibus,* quo loco apte voculam *et* solvamus in *accedit quod.* Item Hist. II, 69: *et vires luxu corrumpebantur* III, 45: *Cartismandua Brigantibus imperitabat, pollens nobilitate. et auxerat potentiam* cet. — Hist. I, 4: *usurpata statim libertate, ut erga principem novum et absentem.* I, 21: *juvenem ingenio trucem et longo exilio efferatum.*

Sin medio enuntiato positum est *et,* semper ad unam notionem spectat, atque sic quum in aliis Taciti scriptis, tum creberrime in germania invenitur, id quod ex indole hujus libelli caussam ducit. Videas modo: Germ. 3: *fuisse apud eos et Herculem memorant.* 6: *definitur et numerus.* 9: *pars Suevorum et Isidi sacrificat.* 11: *sacerdotes quibus tum et coercendi jus est.* 12: *eliguntur in iisdem conciliis et principes.* 23: *proximae ripae et vinum mercantur.* 27: *quorundam igni et equus adjicitur.* 29: *est in eodem obsequio et Mattiacorum gens.* 36: *tracti ruina Cheruscorum et Fosi* al.

Neque omittendum est haud raro *et* conjunctum inveniri cum pronomine *ipse*, qui usus ut apud Ciceronem admodum rarus [1]), ita apud recentiores magis magisque percrebruit. Ac possunt distingui duae rationes. Primam dico, si pronomen *ipse* respicit aliquem de quo jam antea sermo fuit, quique nunc alteri cuidam fortiter opponitur. Agr. 25: *ac ne superante numero et peritia locorum circumiretur, diviso et ipse in tres partes exercitu incessit* (opp. hostibus). Germ. 37: *quid enim aliud nobis quam caedem Crassi, amisso et ipse Pacoro infra Ventidium dejectus oriens objecerit* [2]). Hist II, 33: *Otho cui uni apud militem fides, dum et ipse nonnisi militibus credit.* IV, 27: *proditionem et ipse Hordeonio objecit.* — Altera ratio est, si *ipse* ad nomen quoddam vel pronomen accedit, qua in re fit, ut *et ipse* assumat significationem particulae *etiam*, sed paullo fortius extollat verbum ad quod pertinet. Hist. I, 42: *Titum inde Vinium invasere, de quo et ipso ambigitur.* Hist. III, 82: *miles Vitellianus trinis et ipse praesidiis occurrit.* Ann. IV, 56: *seu Tantalus Jove ortus illos, sive Theseus divina et ipse stirpe, sive una Amazonum condidisset.* —

Fungitur nonnumquam, ut constat, particularum harum partibus adverbium *adhuc*, quem usum quum nihil habeat memoratu dignum, intermiserim ut quam plurimum spatii lucrer. Dixerunt de hoc usu Wexius ad agr. 33; Kritzius ad germ. 19 et 38. cf. Hand, I, 163. —

Sed addenda sunt pauca de junctura: *non modo — sed etiam*, quae utcumque respondet voculis: *et — et.* Atque quattuor sunt hujus usus genera. Primum duo membra pari gravitate enuntiantur; tum dicitur: *non modo* (*tantum*, *solum*) — *sed etiam* (*quo*: *que, et*). Germ. 45: *non modo a libertate, sed etiam a servitute degenerant.* Hist. I, 50: *non senatus modo et eques, sed volgus quoque palam maerere.* Germ. 35: *non tenent tantum sed et implent.* Deinde alterum membrum vel prius complectitur vel tam grave est, ut eo primum respici non jam attineat, atque dicitur: *non modo — sed.* Hoc genus apud T. creberrimum et stilo ejus valde consentaneum est, quippe qui despiciat aequalitatem. Ann. I, 60: *conciti per haec non modo Cherusci, sed conterminae gentes.*

---

1) cf. Kuehneri gr. lat. §. 123, adn. 10. — 2) cf. Kritzium ad h. l. —

Ad. q. l. plura collegit exempla Nipperdejus. Tum fieri potest ut *sed* prorsus omittatur, quo item augeatur gravitas. Nam quo magis membrum orationis per se exstat et nullo nexu ad aliud quoddam alligatum, eo magis in se trahit atque attentum efficit animum ejus qui legit. Nec fuit alia caussa, qua permotus multifarie Tacitus post sententiam negativam *sed* omiserit. Ceterum exempla a Doederlino in prolegg. XXXV, et a Nipperdejo ad ann. IV, 55 congesta sunt. Unum adscribo: ann. III, 19: *non modo apud illos homines qui tum agebant, etiam secutis temporibus vario rumore jactata.* Denique *etiam* quoque absorbetur, quamquam non saepe id invenias. Germ. 10: *non solum apud plebem, apud proceres apud sacerdotes* [1]). —

2. Ex iis, quae supra monui: esse id, quod duobus membris commune sit, saepissime verbis non indicatum, sed cogitando addatur oportere, colligere quis possit Tacitum huic ipsi rationi libentissime obsecutum esse, etiamsi exempla nondum invenerit. Nihil enim magis aptum est ad efficiendam densam orationem atque pressam, nihil quod aeque incitat lectorem, ut ipse cogitet de iis quae animo concipit. At revera miro modo hunc usum excoluit; cujus si vestigiis institerimus et quo abierit diligenter persecuti erimus, fiet ut non modo locis quibusdam difficillimis lucem afferamus, sed etiam denuo admiremur eximiam artem stili Taciti.

Incipiamus ab simplicioribus. Ann. XIII, 22: *at Silana in exilium acta; Calvisius q u o q u e et Iturius relegantur.* Minime unum atque idem exprimunt enuntiata: *in exilium agere* et *relegare,* sed exilio amittebatur civitas Romana relegatis servata (cf. Nipp. ad h. l.); possent igitur hae duae sententiae etiam adversativa particula sibi opponi. Tamen T., ut in arctiore copularum junctura, ita hoc quoque in solutiore nexu adjunxisse sententias satis habet, quo fit ut magis id acuatur, quod commune habent. Id vero hoc loco est: expulsio ex urbe. Quum autem novi aliquid, vel — si vis — oppositum contineatur verbo *re-*

---

1) Nonnulli inseruerunt *sed* ante verba *apud proceres,* incertum an recte; quamquam fateor apud Tacitum me hoc uno loco hanc juncturam invenisse. Certe si opus est mutatione, facilius videtur addere *etiam* quam *sed,* quod quomodo excidere potuerit aegre intelligitur.

legantur, manifestum est duas contrarias cogitandi rationes in unum esse coactas. — Plane simile obvium est: Ann. XII, 22: *in Lolliam mittitur tribunus, a quo ad mortem adigeretur. Damnatus et lege repetundarum Cadius Rufus accusantibus Bithynis.* —

Hist. I, 26: *adeoque parata apud malos seditio, etiam apud integros dissimulatio fuit, ut* cet. Commune est: studium Othonem imperatorem faciendi, nam huic etiam dissimulatione integrorum aliquid subsidii suppeditabatur. —

Ann. XIII, 16: *At Agrippinae is pavor, ea consternatio mentis, quamvis vultu premeretur, emicuit, ut perinde ignaram fuisse atque Octaviam, sororem Brittannici, constiterit; quippe sibi supremum auxilium ereptum et parricidii exemplum intellegebat. Octavia quoque, quamvis rudibus annis, dolorem caritatem omnes adfectus abscondere didicerat.* Si accurate judicamus, duo sunt plane opposita, quae particula *quoque* componuntur, nam Agrippinae emicuit pavor et consternatio, Octavia omnes adfectus abscondidit. Commune est: utriusque silentium; Agrippina solo vultu animi commotionem prodidit. Sed habemus exemplum concentus numquam satis admirandi, qui est inter stilum Tacitinum atque id quod exprimere studet scriptor. Namque pusillo vocabulo *quoque* commune illud: silentium, extollitur ut quod omnibus affectibus sive pressis sive editis praevaleat. Quod persentisces, si loco particulae *quoque* adversativam quandam supposueris, qua una immutatione totus sententiarum complexus prorsus aliam faciem induet.

Ann. II, 26: *Sic Sugambros in deditionem acceptos, sic Suebos regemque Maroboduum pace obstrictum. posse et Cheruscos ceterasque rebellium gentes — internis discordiis relinqui.* Jam ad audaciora pervenimus. Nam communis quidam est duabus sententiis notio evitandi arma, sed ad priorem ut perfecta cogitatur, ad posteriorem ut futura.

Ab hoc exemplo paullulum tantum procedendum est ad ea, in quibus quum quod commune habent, fere prorsus obliteratum sit, quam fortissime eminet oppositio membrorum.

Ann. XIII, 17: *in campo tamen Martis sepultus est adeo turbidis imbribus, ut vulgus iram deum portendi crediderit adversus facinus cui plerique etiam hominum ignoscebant.* Opposita quibus non possunt cogitari ulla magis contraria. Sed notio quam

communem habent est: id quod de nece Britannici judicabatur et sentiebatur. Atque dii irascebantur, homini ignoscebant. Ceterum hic locus hucusque ab interpretibus aut corruptus habitus, aut falso explicatus est, Scripsit Heinsius *tamen* sequente Halmio, Haaseus edidit *jam* praeeunte Rittero. Nipperdejo explicatio, quam dedit, ipsi displicuisse videtur, nec injuria. Atque quam falsa sit, etiam magis apparet, si conamur alios locos similes in eundem modum expedire. Sic

Ann. XV, 37: *inditum imperatori flammeum, missi auspices; dos et genialis torus et faces nuptiales, cuncta denique* s p e c t a t a, *quae* e t i a m *in femina* n o x o p e r i t, si quis interpretaretur: etiam in femina quae nox operit, quando magis ea in viro celanda erant, nihil posset excogitari magis stolide dictum ac perverse. Sed facile perspicietur, quae hoc loco sit notio duabus sententiis communis.

Ann. II, 34: *commotus est Tiberius et* q u a m q u a m *mitibus verbis Pisonem* p e r m u l s i s s e t, *propinquos* q u o q u e *ejus impulit, ut abeuntem auctoritate et precibus tenerent.* Tiberius *non* conatus est Pisonem blandis alloquiis mitigare, sed tantum propinquos impulit; communis notio: placatio Pisonis. Orellius autem, quum putet Pisonem ne curiam quidem reliquisse, sed retentum esse a Tiberio, valde mihi videtur errare. Immo e curia egressus est, sed ne cederet urbe, id ut propinqui precibus et auctoritate impetrarent voluit princeps.

Ann. XIII, 3: *Dictator Caesar summis oratoribus aemulus, et Augusto prompta ac profluens quaeque deceret principem eloquentia. Tiberius artem* q u o q u e *callebat qua verba expenderet, tum validus sensibus aut consulto ambiguus.* Non accipiendum tamquam Tiberio praeter Augusti eloquentiam profluentem ac promptam fuisset etiam ars verba expendendi, sed contra Augusti eloquentiam. Communis notio: facundia principum Romanorum usque ad Neronem.

Ann. XIV, 7: *quod contra subsidium sibi? nisi quid Burrus et Seneca expedirent, quos statim acciverat incertum an* e t *ante ignaros.* De voce *expergescens* quam praebet Med., in *expedirent* ab amico Pichenae mutata ex sua quisque opinione judicet; certe verba *incertum an et ante ignaros* sanissima sunt, contemptis

omnibus interpretum scrupulis [1]. Quin etiam contenderim, non posse utique nos carere particula *et*, nisi sententia multa caligine perfundatur. Deest enim enuntiatum ad quod spectat illud in quo exstat *et*. Sed si Nero accitos Burrum et Senecam adiit, ut in tali rerum discrimine auxilium ferrent, iis involuta est cogitatio, tum quidem eos conditionem rerum compertam habuisse, atque id solum incertum fuit, an antea, h. e. ante commissum facinus ignari fuissent. Ferebatur enim rumor, Senecam Neronem ad parricidium perpulisse [2]. Ergo si in hunc modum supplemus cogitationes scriptoris, videmus locum prorsus similiter comparatum esse, ac illos, de quibus ante diximus; esse autem notionem communem: dolum Neronis ad pervertendam matrem compositum. Quam quum in iis quae antecedunt ne verbo quidem respiciatur, ut extolleret adduceretque ad animum lectori, scripsit Tacitus: *et ante ignaros.*

Ex ipsa stili Taciti natura facillime expeditur caussa, qua commotus scriptor omiserit primum illud membrum, si quidem sine magna difficultate id suppleri posse putabat. Quod denuo factum esse intelligimus Hist. III, 67: *obruebatur animus miseratione curaque, ne pertinacibus armis minus placabilem victorem relinqueret conjugi ac liberis, erat illi et f e s s a a e t a t e parens;* ac si in priore loco offendebant editores, miror quod hunc intactum reliquerunt. Neque enim potest trahi particula *et* ad vocabulum *parens*, sed necesse est semper eam conjungi cum eo verbo ante quod sedem habeat. At quam parum supra ex verbis *incertum an et ante ignaros* sumendum nobis erat: tum quum Nero eos accivit ignari fuerunt, sed potius: *gnari* fuerunt, tam parum licet e sententia *erat illi et fessa aetate parens* trahamus frivolam illam cogitationem: erat illi adhuc alia parens *non* fessa aetate, sed contra habebat: *conjugem ac liberos* non fessa aetate. Notio communis est: propinqui.

Sed ne quid somniasse videar, in fine adscribo locum quo evidentior et ad probandum judicium meum aptior vix ullus inveniri potest. Nam Ann. I, 3 s. f. legimus: *juniores p o s t*

1) Ernesti: an ante ignaros; Haaseus an rei tantae ignaros (teste Baitero); Nipperdejus: nisi quid Burrus et Seneca, quos statim acciverat, incertum an aperiens, et ante ignaros; Baiterus: an ignaros; Oberlinus: an et ante gnaros.

2) cf. Dionis Cass. 61, 12.

Actiacam victoriam, *e t i a m senes plerique i n t e r b e l l a c i v i u m nati*, *q u o t u s q u i s q u e r e l i q u u s q u i r e m p u b l i c a m v i d i s s e t*, ita ut ipse Tacitus id quod commune habent duae illae sententiae prorsus contrariae, subinde indicet. Jam fusiore explicatione supersedere posse puto. —

Cognatus est usus quidam pronominis demonstrativi, quod est: *idem*, de quo liceat hic mentionem injicere. Germ. 4: *magna corpora et tantum ad impetum valida; laboris atque operum non e a d e m patientia.* Parum recte explicuisse Kritzium: eadem patientia, quae pugnae atque impetus, primo obtutu palam est eo, quod: patientia *impetus* absurdum est. Et profecto plane sibi opposita sunt duo enuntiata, cum in altero de solo agendo, in altero de solo patiendo sermo sit, neque aliud quicquam potest inter ea cogitari commune, quam notio roboris de quo diversis modis in utraque sententia agitur. Sunt et hoc loco duae cogitandi rationes — et prorsus illae contrariae — in unum contractae, id quod in hunc fere modum vertas: Ihre Gestalten sind gross und nur zum Anstürmen kräftig; nicht in gleichem Maasse können sie Mühe und Arbeit ertragen. — Germ. 35: *prompta tamen omnibus arma, ac si res poscat, exercitus, plurimum virorum equorumque; et quiescentibus e a d e m fama.* Iterum falso Kritzius: eadem fama quae in bello. Nam opponitur *fama* virtutis militaris ipsi *probandae* virtuti, id quod bello fieri solet. Minime igitur cogitari potest de fama in bello. Verum est communis notio bellandi, quae duas sententias connectit.

Denique dicendum est de loco quem hoc Taciti more ut firmo fundamento nisus corrigere velim. Legitur Ann. VI, 25: *post quos Sex. Marius Hispaniarum ditissimus defertur incestasse filiam et saxo Tarpejo dejicitur. Ac ne dubium haberetur, magnitudinem pecuniae malo vertisse, aurariasque ejus quamquam publicarentur sibimet Tiberius seposuit.* Scribere me velle *aurarias quoque* jam supra jeci, qua conjectura omnia ad ingenium Tacitinum quam optime restitui, unusquisque, credo, videbit, si locos antea tractatos comparaverit, ita ut non sit, quod verbum ultra addam. Quae proposuerunt Weissenbornius: *aurarias argentariasque*, Bezzenbergerus *aurarias aerariasque*, ea quum ne ullo quidem codicis vestigio stabiliantur, ducenda sunt prorsus irrita [1]).

1) Etiam Doederlinus, ut nunc ipsum video, cogitavit de *quoque*, sed in con-

His ita expositis demonstrasse mihi videor, vel quod semper in ejusmodi rebus agendum est, usum particularum *etiam* cet. a trita dicendi consuetudine initio repetito paullatim eo evasisse, ut unde natus sit vix agnosci possit. Sed nondum ad finem perventum est. Restat enim alia proprietas dicendi juxta mira, qua recte perspecta denuo spero fore ut locorum variis modis temptatum in integram lectionem revocemus.

Ut notum est, plerumque *etiam* cet. in secundo membro locum habent, ita ut id cogitetur quasi accedens. Sed possunt etiam inverti membra, si alterutrum magis extollitur. Sic Cicer. fam. 4, 14, 2: *secundas etiam res nostras, non modo adversas pertimescebam.* Ita fit, ut *etiam* aliquando spectat ad ea quae sequuntur. Ac tamen ratio, quae in exemplo modo allato palam est, habet aliquid stilo gravi atque diligenter perpolito non conveniens, quippe quum membrum infirmius, quod fortius insequitur claudicet quodammodo tamquam elumbe, vitentque non sine diligentia Romani ordinem verborum in quo levius vocabulum fortiori postponitur. Ita explicandum est, cur apud T illa enuntiatorum commissura non inveniatur. Contra haud infrequens ubique est inversio, si a priore membro ad posterius gradatio quaedam. Quod comprobetur loco Hist. IV, 80: *favore militum anxius et superbia viri, aequalium quoque adeo superiorum intolerantis*, ubi posteriori membro plus ponderis imponere voluit scriptor. Teneri autem revera inversionem eo manifestum est, quod minima sensus discrepantia duarum sententiarum sedes immutari possunt in hunc modum: superbia viri superiorum, aequalium quoque intolerantis. Ac si res poscere videtur, etiam sic cogitari potest gradatio, si quidem acui posterius membrum imprimis attinet. Quin hac rerum amphibolia fieri potest, ut duas rationes misceamus, quo major unicuique membro tribuatur gravitas, atque in hac verborum positione: *superbia viri aequalium quoque, adeo superiorum intolerantis* utrumque sumamus ut in ascensu orationis

---

textum non recepit. — Ann. I, 43, ubi haec leguntur: *vos quoque quorum alia nunc ora, alia pectora contueor* cet., Nipperdejus scripsit: *vosque quorum* cet., nulla adnotatione subjuncta; fortasse ut locum congruentem faceret ei qui legitur Ann. III, 16: *vosque oro liberis meis consulatis* cet. Equidem, quid in codicis lectione corrupti deprehendi possit, nescio.

dictum, nimirum ex partibus contrariis. Id nostra lingua sic audit: vor dem Stolze des Mannes, der sogar die welche gleichen Ranges mit ihm waren nicht dulden konnte, wie viel weniger solche die höher standen. Ceteroquin nos particulam reddere solemus voce *schon*, sed, ut elucet, nulla significatione temporis subdita. — ann. I, 11: *Tiberio etiam in rebus quas non occuleret suspensa semper et obscura verba, tunc vero — in incertum et ambiguum magis implicabantur.* II, 36: *superbire homines etiam annua designatione; quid si honorem per quinquennium agitent.* — II, 84: *quod rarum laetumque etiam modicis penatibus tanto gaudio principem adfecit, ut non temperaverit* cet [1]).

Jam respicientes hunc usum et fontem unde fluxerit, locum explanare studebimus nunc ab omnibus pro corrupto ductum [2]), sanissimum tamen ut mihi quidem videtur. Legitur autem ann. XII, 40: *at Caesar cognita morte legati, ne provincia sine rectore foret, A. Didium suffecit. is propere rectus non tamen integras res invenit, adversa interim legionis pugna, cui Manlius Valens praeerat, auctaque et apud hostes ejus rei fama, quo venientem ducem exterrerent, atque illo augente audita, ut major laus compositi, vel si duravissent, venia justior tribueretur.* Scripsit Nipperdejus: *auctaque est,* semicolo posito post vocabulum *erat.* Sed ut omittam, quod haec sententia ut secundaria quaedam pari vi cum verbis *non tamen integras res invenit* non bene conjungi potest, contra enuntiata, quae ablativis quos dicunt absolutis constant, a Tacito saepissime connecti solent, conjectura Nipperdeji etiam contra justas cogitandi leges facit. Nam rumores qui de legionis clade circum ferebantur. Didium tamdiu solum movere poterant, dum ad legionem pervenit suisque ipse oculis qui esset status rerum perspexit, ergo antequam ea fierent, quae sententia: *non tamen integras res invenit* spectantur. Idcirco Tacito non dicendum fuerat: *auctaque est,* sed sine dubio: *auctaque erat.* Quod deinde Halmius proposuit: *aeque illo augente* pro *atque illo augente* [3]), ita

---

1) Negative: Ann. III, 34: *quae ne conjugum quidem penates, adeo socios non onerent.* — 2) Waltherus integrum reliquit, sed ut comparet ea iis quae adnotavit vera loci difficultas eum prorsus praeteriit.

3) Recepit Haaseus, quamquam ipse Halmius in ed. II in Heinsii partes transiit. —

ut sibi responderent vocabula: *et* — *aeque*, inverso quidem illa ordine, id mihi probabile non videtur primum quum Tacitus juncturis, quales sunt: *aeque ac*, *pariter ac* vel *et* semper tantum in singulis notionibus usus sit, neque vero in sententiis, deinde quod inaudita est inversio illa quantum ego quidem scio, denique quia conjuncta verba *atque* et *illo* nimis ingenium Tacitinum redolent[1]). Heinsius: *aucta aeque apud hostes fama — atque illo augente,* qua quidem mutatione efficitur ut omnia solute profluant. Denique Baiterus Nipperdeji et Halmii conjecturas conglutinavit. —

Equidem non dubito, quin hoc loco inversio sententiarum agnoscenda sit; *et* dictum significatione *etiam*, atque pertinet ad enuntiatum: *atque illo augente audita.* Hoc enim imprimis acui volebat scriptor, tamquam mirandum quoddam, quum illud, quod hostes famam suae victoriae augebant non esset dignum quod admiraretur. Est igitur gradatio a primo membro ad alterum; *atque,* ut saepissime invenitur, valet: und sodann, simul vi demonstrativa id enuntiatum adnectit, quo gradatio efficitur. —

Addiderim alium locum, quem, nullo nisi tali modo satis explicari posse putem, sed etiam magis mirum illum. Reputes, amabo, quae inveniuntur ann. I, 70: *pernoctavere sine utensilibus, sine igni, magna pars nudo aut mulcato corpore, haud minus miserabiles, quam quos hostis circum sidet: quippe illic etiam honestae mortis usus, his inglorium exitium.* Puto unumquemque qui attente legat, in his verbis offensurum esse. Tamen editores, quos quidem ego inspexi, tacent omnes. Tria autem sunt explicatu digna. Primum quod *etiam* ad ea quae sequuntur pertinet. Deinde, quod membra contraria sunt, ita ut *etiam* non spectare possit nisi ad notionem moriendi duobus communem, quod elucebit si inverterimus sedes membrorum in hunc modum: quippe his inglorium exitium, illic etiam honestae mortis usus, et in comparationem vocaverimus unum ex locis supra collectis. Denique, quod haud levioris momenti est, Tacitus verbis *quippe-exitium,* nimirum quae apponuntur comprobandi caussa, non ea, quae vere comprobent priora, sed loquitur, tamquam legeretur in iis quae praecedunt: magis miserabiles, quam quos hostis

1) cf. cap. I, §. 3, 1.

circumsidet. Nam illic certe honesta morte obibant, hic inglorium tantum exitium erat. Itaque una cum comprobatione ad novum quoddam atque fortius pergitur, de quo usu dicendi vide, quae exposuimus ad hist. V, 5 (cap. IV, 1.). —

CAPUT SEXTUM.

DE ENUNTIATIS NEGATIVIS.

Jam ad eas devenitur tractandas particulas, quae negationem simul continent.

Mireris ubertatem pariter atque brevitatem linguae latinae, quae varia conjungendi genera diversis particulis affirmative designasse non contenta, ad talem quoque rationem certas et plures voculas sibi confinxit, qua sententiae vel notiones negative enuntiatae adjungi possint, ita ut uno eodemque vocabulo et copula et negatio parco modo comprehendatur. Quaeritur ante omnia, si plures exstant tales particulae, quomodo inter se diversae sint. —

Nam omnino eas differre — quod qui de voculis *nec* et *neque* negarent non defuerunt — apud me quidem in confesso est. Judico enim, in unaquaque lingua ne ullum quidem verbum frustra et superflue esse conformatum, sed suam quodque retinere vim peculiarem et propriam. Itaque et haec quaestio non despicienda est.

Et primum quidem dicendum est, jamdudum videri abjectam esse opinionem illam olim pervulgatam, differre inter se *nec* et *neque* (de *ne quidem* et *nedum* infra exponam) ita, ut ante vocalem *neque*, ante consonantem *nec* ponatur, vel — quod alii cautius statuerunt — *nec* non ponatur ante vocalem [1]). Atque quod nunc aliter et rectius judicatur, maxime duobus debetur viris doctissimis: Wagnero, qui in quaestt. Vergil. pag. 525 seqq. primus cum ratione et acumine mentis non spernendo de legibus exposuit, quas Vergilius et Cicero in libris de republica hac in re secuti sunt, Handio, qui in Tursell. IV, 91 spq. omnes

1) cf. Hand Turs. IV, 93. —

Romanorum scriptores, in quantum fieri licuit, in unum conspectum comprehendens non solum de usu sed etiam de origine particularum egregie disputavit. — Quae num omnia recte se habeant, hic non est, quod pluribus anquiramus. Sufficit cognosse ex iis, quae ab utroque prolata sunt, viam, quam ineamus oportet ad rem bene tractandam. Nam licet verbis discrepet haud raro Handius a Wagnero, tamen re ipsa unius cujusque judicium ad idem redit. —

Est autem *neque* mollius et lenius, quare transitui magis inservit; *nec* — quum ex Handii sententia compositum sit ex *ne* et suffixo demonstrativo, quod est *ce* — fortius et gravius, ita ut praevaleat negatio, diminuta sit vis copulandi, quod ipse durior voculae sonus satis depingit. Sentimus discrimen, si comparamus enuntiata, in quibus cum iisdem verbis modo *nec* modo *neque* conjuncta inveniantur. Agr. 31: *neque enim arva urbis aut metalla aut portus sunt* [1]). Evidentius etiam hist. I, 5: *nec enim ad hanc formam cetera erant.* Cap. 55: *neque enim erat adhuc, cui imputaretur.* Consentaneum est in oratione vehementius commota saepius poni *nec,* sin tranquille profluat *neque*: hist. I, 3: *nec enim umquam atrocioribus populi R. cladibus — adprobatum est non esse curae deis securitatem nostram, esse ultionem.* Cap. 16: *neque enim hic, ut gentibus quae regnantur, certa dominorum domus et ceteri servi.* 30: *neque enim relatu virtutum in comparatione Othonis opus est.* — Porro: Agr. 2: *neque in ipsos modo auctores, sed in libros quoque eorum saevitum.* Cap. 3: *nec spem modo ac votum securitas publica; sed ipsius voti fiduciam ac robur assumpserit.* Vel: ann. III, 57: *nec tamen repertum, nisi ut effigies principum — aliaque solita conserent.* 58: *neque tamen cessavisse religiones.* Tamen id discrimen tam leve ac tenue est, ut facillime exstingui posset, licetque cogitare, multifarie scriptoris non interfuisse, quamnam poneret particulam, ita ut aures et numerum verborum unice sequeretur. Quod imprimis apud poetas statuendum, quare jure censeo Wagnerum dicere: plerumque et numerus et oratio eandem postulat formam; quamquam non tanto

1) Is qui codicem *Δ* scripsit videtur putasse, Tacitum longe saepius dicere *nec* quam *neque.* Nam plurimis locis *nec* habet quum cod. Pomponii Laeti *neque* praebeat. Cf. cap. 16. 31. 33. 38. 42.

disjunctae ac separatae sunt hae particulae, ut non interdum, ubi res tulerit, aut soni suavioris caussa ea forma admittatur, quae numerorum elegantiae non plane congruat. Caveamus ne inhabile quid aut vitiosum in hac licentia deprehendere nobis videamur. Est enim tam pusillum discrimen illud, ut sine dubio melius fecerit Vergilius, si uno alterove loco, rhythmi ratione habita, *neque* posuit pro *nec* vel vice versa, quam quod versu confragoso et ingrato aures offenderet. Diffiteri quidem nullo modo possumus, haud paucas esse verborum commissuras, in quibus plerumque vel semper altera tantum duarum particularum inveniatur. Sed permutationem quandam et apud optimos scriptores interdum observari posse, etiam Handius concedit. Atque quamvis diligenter et proprie excoluerit stilum suum Tacitus, tamen ex usu quodam quem in adhibendis particulis *nec* vel *neque* observasse mihi viderer, ne unum quidem locum mutare auderem. — Ceterum non ita parvi erit momenti, de talibus dicendi proprietatibus paullo accuratius quaerere.

Primum ex fortiore vi part. *nec* explicatur, cur fere semper ibi locum habeat, ubi litotes quaedam exhibetur. Sic semper a Tacito dicitur: *nec nisi* [1]), numquam *neque nisi,* ac ne tum quidem, si vocabulo alio interposito separantur. Item *nec sine; nec non* apud Tacitum non invenitur. Tum ante vocabula qualia sunt: *nescius, ignarus* alia scriptor utitur particula *nec,* quamquam ann. XVI, 14 exstat: *neque nescium.* — Porro semper dicit *nec ullus, nec quisquam, nec usquam* cet.; contra *neque* tum tantum si verbum quoddam interjicitur [2]). Tamen ab hac regula recedunt duo loci, qui sunt hist. IV, 23: *neque umquam,* et Agr. 38: *neque usquam.* Deinde legitur *nec*, si alio quovis modo negatio, quae latet in *nec* ad unum tantum sententiae verbum pertinet. Sed hac in re — ut id hac data occasione admoneam — admodum licenter agit Tacitus, ita ut haud raro paullulum obscuretur sensus. Quod intelligas ex ann. XIV, 58: *quin et Asiam favore juvenis arma cepisse, nec milites ad scelus missos aut numero validos aut animo promptos — ad spes novas transisse,* quo loco pu-

---

1) Invenitur haec junctura his locis: Ann. III. 24. 40. IV, 46. XI, 18. XIII, 36. XV, 29. 69. Hist. I, 53. Germ. 30. 31.

2) Ann. IV, 39. 67. VI, 2, 26. XII, 6. XV, 51.

taverim, omnes, si primo legerint *nec* pertinere ad verba: *ad spes novas transisse,* ultro opinaturos esse; sed spectat ad: *aut numero validos aut animo promptos.* Valde enim amat Tacitus particulam *aut,* si praecedit negatio (cf. infra). Parum perspicue comparatus est etiam locus ann. XII, 36: *At non Carataous aut vultu demisso aut verbis misericordiam requirens ubi tribunali adstitit in hunc modum locutus est*[1]. — Ann. XII, 7: *Nec Claudius ultra exspectato obvius apud forum praebet se gratantibus.* Hist. I, 26: — *ni incerta noctis et tota urbe sparsa militum castra nec facilem inter temulentos consensum timuissent,* Ann. I, 35: *finem tam exercitae militiae neque inopem requiem orabant.* — Tum saepissime invenitur *nec minus, nec minor* cet. Sunt autem duo hujus usus genera distinguenda. Primum enim ea, quae a *nec minus* cet. incipiunt comparari possunt cum iis quae antecedunt, quae est ratio ad nova transeundi imprimis apud Vergilium usitata[2]; e Tacito conferas hist. I, 13. II, 70. 81. 88. ann. XII, 1. XIII, 1, sed rarius legitur in annalibus. Ac si in hunc modum transitus efficitur, fere numquam *neque* ponitur, quod uno tantum loco observavi ann. III, 63. Sed alias quoque *nec minus* fere ex regula dicitur: Ann. I, 40. II, 21. 69. III, 27. IV, 47, VI, 32. XI, 24. XIV, 14. 57. XV, 67. XVI, 2 Germ. 22. 42. *neque minus:* Ann. IV, 15. — In altero genere, si comparatio est cum iis quae sequuntur et quae per *quam* adnectuntur, paullo saepius legitur *neque minus:* ann. III, 38. XII, 38. XV, 16. Frequentior tamen et hic particula *nec*: ann. IV, 38. hist. I, 2. IV, 8. Agr. 5. — Praeterea *neque minus* ann. II, 73 ita positum est, ut *neque* sensum praebeat: nec tamen ideo.

Dicit Tacitus: *nec deest, deerat, deerant* cet., etiam in parenthesi (hist. II, 12); *neque* tantum si vocabulum interponitur: hist. IV, 80; dicit *nec ultra, nec diu;* dicit *nec ideo*[3], exceptis duobus locis: ann. IV, 26. Hist. I, 75, sed primo loco vocabulum interjectum est. Legimus enuntiatum illud poeticum: *nec mora*[4]: ann. IV, 70: XIII, 45. XIV, 57. Hist. I, 59. II, 14,

1) Cf. Nipp. ad h. l.

2) Cf. Wagn. ad Verg. ecl. I, 58.

3) Ann. I, 12. II, 38. II, 42. III, 25. VI, 14. 42. XII, 39. Hist. IV, 44. 73.

4) Cf. Ovid. am. I, 6, 13.

nunquam autem *neque mora*. *nec* quod vice particulae *non* fungitur, paullo fortiore tamen vi, quemadmodum formulis quibusdam exhibetur, quales sunt: *quod nec vertat bene* (Verg. ecl. IX, 6) vel *nec opinus* (Ovid. met. I, 224) aliae [1]), apud Tacitum non inveni, nisi in junctura *nec dum;* qua duplici modo utitur. Primum significationem praebet vocabuli *nondum* [2]) ita, ut majorem vim habeat: Hist. II, 18: *certum erat Spurinnae, necdum venisse Caecinam*, atque conjungitur etiam cum *et* admodum mire: Hist. I, 31: *si incipiens adhuc et necdum adulta seditio melioribus consiliis flecteretur* [3]). Deinde vero copulam simul complectitur, nimirum cujus vis ac natura hac in junctura pari modo variat, ac in simplici *nec*. — Ann. XII, 5: *necdum celebrare sollemnia nuptiarum audebant* XV, 8: *spretis omnibus, necdum satis firmatis hibernaculis*. Cap. 40: *necdum positus metus*. Uno loco etiam legitur: *nequedum;* is est Ann. IV, 62: *nequedum comperto quos illa vis perculisset, latior ex incerto metus*. —

Sed in parenthesi semper dicitur *neque enim* [4]), quod apud Tacitum hisce locis obviam est: Ann. V, 4: VI, 22. XIII, 54. Hist. I, 79. 83. 85. II, 2. 27. IV, 77. Agr. 16. Invenitur praeterea *neque* in parenthesi: Ann. IV, 3. XV, 51, semel *nec* Hist. II, 12. — Deinde ponitur saepius *neque* si *non* vel alia quaevis negatio antecedit, quod etiam a Vergilio factum esse Wagnerus demonstrat. Cf. Ann. I: 9. VI, 31. XI, 22. XIII, 15. Hist. II, 47. 49. III, 20. 53. 72. 76. IV, 19. 23. 42. 49. al. *nec* invenies Germ. 22. Hist. I, 38. 43. II, 12. V, 23. Ann. I, 31. XIII, 4.— Multo crebrius est *neque tamen* quam *nec tamen*, ac si quis putat, initio capitis semper vel plerumque poni *nec* oportere, haec exempla contra doceant: Ann. I, 57. II, 46. III, 32, quam copiam facile augere possem. Omnino credo ultra exspectatum esse, si aperio, in annalibus longe saepius legi *neque*, in historiis et scriptis minoribus *nec*, quum e contrario rem se habere

---

1) Poetae liberiore modo hac particula utuntur etiam in aliis enuntiatis. Cf. Wagn. quaestt. Verg. pag. 532. Hand. IV, 96 seqq.

2) Sed invenitur etiam ipsum *nondum* multis locis cf. Ann. IV, 64.

3) Plin. paneg. 14: *et necdum imperator, necdum dei filius eras*. Orelli.

4) Is usus latius patuisse videtur. Cf. Ov. met. XIV, 25: *At Circe (neque enim flammis habet aptius ulla Talibus ingenium)*. — *Talia verba refert*. Hand. IV, 115.

ex universa horum scriptorum diversitate facile quis concludere possit. Quae res abstineat, ne ex talibus, quas modo institui, observationibus, temere ac nimis fidenter deducamus regulas in universum valituras. Praestabit redire ad sententiam supra jam prolatam: multis vel plurimis locis scriptorem numero verborum obsecutum vel *nec* vel *neque* in usum vocasse. Atque ad firmandam illam unum adhuc adjicio exemplum: Ann. I, 31: *non unus haec ut Pannonicas inter legiones Percennius, n e c apud trepidas militum aures — sed multa seditionis ora vocesque.* Praecedit *non*, et poscitur justa conjunctio inter duas sententias. Tamen *nec* positum est numeri gratia, quod persentisces, si loco ejus *neque* substitueris [1]).

His de diversitate particularum *nec* et *neque* expositis jam ad vim earum atque significationem altius considerandam accedamus.

Pergitur in narratione ad nova saepissime per particulas *nec* et *neque* ita ut conjungantur cum vocabulis *minus*, *minor* cet.,

---

1) Quam caute semper agendum sit in constituendis regulis de usu quodam scriptoris, id hac oblata occasione aliis quibusdam exemplis insuper demonstrabo. Particula *ergo* in Agricola invenitur uno cap. 33, ter in Germania (19. 22. 45), non in historiis, contra undetrigintia locis in annalibus, qui ad singulos libros hoc miro modo distribuuntur: lib. II, V, XII: nullo loco; IV, XI, XIII: singulis locis (IV, 37. XI, 33. XIII, 51); lib. I, VI, XVI: binis locis (I, 26. 58. VI, 14. 46. XVI, 11. 18). lib. III, tribus l. (17. 34. 54); lib. XIV, quinque l. (3. 11. 17, 22. 62); sed lib. XV duodecim locis (20. 28. 33. 34. 36. 44. 46. 50. 51. 56. 61. 66). At quis putabit, haec consulto a Tacito facta esse? Aliud exemplum praebeant verba movendi aliquid ab aliqua re, quae a Tac. cum mero oblativo conjunguntur, exceptis: abscedere (Ann. I, 7. III, 5. XII, 48), discedere (Hist. II, 38), abducere (Hist. II, 28): retrahere (Ann. IV, 28), reverti (Hist. I, 77), ad quem explicandum usum nulla potest afferri justa caussa; nihil enim obstabat, quominus diceretur etiam: deducere vel detrahere ab aliqua re. Itaque id forte factum esse statuemus. Poetae quoque hac in re suum quisque arbitrium sequuntur. Olim perlustranti mihi Tibulli, quae feruntur carmina, venit in mentem adnotare omnia verba movendi quae cum ablativo ab eo conjungerentur. Adscribo ea animi caussa: consurgere (IV, 1, 74), deducere (I, 3, 86), defluere (III, 4, 81), detrahere (I, 5, 32), devocare (I, 2, 46), efferre (IV, 1, 123), fluere (III, 4, 27), elicere (I, 2, 46), mittere (I, 3, 9), repetere (I, 3, 39), stillare (I, 7, 51). Solum verbum *abducere* praepositionem *ab* secum habet (II, 3, 61) eaque in re Tibullus cum Tacito concinit.

deest, deerat cet. (vide supra), vel ut dicatur: *nec (neque) multo post:* Hist. III, 61. Hist. I, 27. Ann. I, 5. 57, vel multis aliis ac variis modis, qui commemoratu digna non habent cf. Ann. XIV, 5: *nec multum erat progressa navis.* Hist. I, 19: *nec aliud sequenti quatriduo.* Si id quod indicatur sententiâ per *nec* vel *neque* appositâ, insequenti tempore non factum est, tum designant, scriptorem ad alia transitum facere Germ. 11: *nec dierum numerum, ut nos sed noctium computant.* Hist. I, 50: *nec jam recentia saevae pacis exempla, sed repetita bellorum civilium memoria captam totiens suis exercitibus urbem, vastitatem Italiae — loquebantur.* Ann. III, 54: *nec ignoro in conviviis et circulis incusari ista et modum posci* (in oratione Tiberii) Hist. I, 30: *nec est plus, quod pro caede principis, quam quod innocentibus datur* (in oratione Pisonis). Porro denotant, ad ea quae modo commemorata sint, accedere sententiam ex ipsius scriptoris animo haustam: Hist. II, 68 *nec quemquam saepius quam Verginium omnis seditio infestavit.* Vel clausulam apponunt: Ann. VI, 5: *neque nos originem finemve ejus rei ultra comperimus.* Vidimus pag. cap. I, §. 1, aliquando poni *et*, si designetur sententia quadam id temporis spatium, quo factum quod inciderit; qui usus perperam ab Handio in dubitationem vocatus est. Jam etiam de particula *nec* similia exempla afferamus: Hist. III, 32: *nec procul a caede aberant, cum precibus ducum mitigatus est miles.* Hist. IV, 57: *nec procul — firmavere.*

Aliud est, si per *nec* vel *neque* adjungitur notio vel sententia, quae antecedentem accuratius explicet vel altius confirmet. Hist. IV, 76: *transvectam e Britannia legionem, accitas ex Hispania, adventare ex Italia; nec subitum militem, sed veterem expertumque belli* i. e. und zwar keine eilig zusammengerafften Soldaten. Hist. IV, 17: *nuper certe caeso Quinctilio Varo pulsam e Germania servitutem, nec Vitellium principem, sed Caesarem Augustum bello provocatum;* accuratius indicatur, quo rerum statu Germani ausi sint vincere ac subvertere Romanorum legiones. Ann. I, 58: *amicos inimicosque ex vestris utilitatibus delegi, neque odio patriae, verum quia* cet. ibid. *atque ubi primum tui copia, vetera novis et quieta turbidis antehabeo, neque ob praemium, sed ut me perfidia exsolvam.* Ann. VI, 7: *quibus adeo indomitis exarserat, ut more regio pubem ingenuam stupris pollueret. nec formam tantum et decora corpora, sed in his modestam pueritiam, in aliis imagines ma-*

jorum incitamentum cupidinis habebat. Ann. II, 34: *haud minus liberi doloris documentum idem Piso mox dedit vocata in jus Urgulania, quam supra leges amicitia Augustae extulerat, nec aut Urgulania obtemperavit, in domum Caesaris spreto Pisone vecta, aut ille abscessit* cet. intellige: *nämlich weder Urgulania* cet. Explanantur enim, quae per sententiam antecedentem quasi in nuce dedit scriptor. Sic etiam Ann. IV, 12: *volutare secum quonam modo Germanici liberos perverteret, quorum non dubia successio. neque spargi venenum in tres poterat* cet. Huc porro pertinet usus ex quo ad sententiam generaliter enuntiatam per *nec* accedit exemplum quoddam illustrandi caussa: Agr. 1: *ac plerique suam ipsi vitam narrare fiduciam potius morum quam adrogantiam arbitrati sunt; nec id Rutilio et Scauro citra fidem aut obtrectationi fuit.* Ac ne illum quidem usum frustra quaeres, ex quo *neque* asseverationi inservit, id quod de particula *et* vidimus cap. I, §. 1. Hist. II, 46: *bonum haberet animum jubebant; superesse adhuc novas vires, et ipsos extrema passuros ausurosque. neque erat adulatio.*

Interdum posterior sententia vel notio ut ex prioribus consequens cogitata est: Agr. 41: *nec jam de limite imperii et ripa, sed de hibernis legionum et possessione dubitatum.* Ann. XII, 43: *frugum quoque egestas et orta ex ea fames in prodigium accipiebatur, nec occulti tantum questus, sed jura reddentem Claudium circumvasere ita moribus turbidis* cet. Hist. IV, 25: *gliscebat iracundia legionum, nec terrorem unius militis vincula indiderat.* Sed habemus hoc loco amphiboliam illam, saepius memoratam, qua fit, ut enuntiatum posterius et confirmare ea quae antecedunt accipere liceat ex prioribus consequi, itaque modo prius modo posterius esse prout libet lectori.

Omnia vero dicendi genera, quae hucusque enumeravi, quamvis similia sint iis de quibus ad *et*, *que*, *atque* disputavi, multo tamen iis rarius inveniuntur. Jam ad ea pervenimus, quae quum sint ad naturam particularum *nec*, *neque* maxime accommodata, etiam longe saepissime apud Tacitum leguntur.

Explicatur ex ipsa negationis vi ac natura, quippe quae semper oppositionem quandam involvat, cur particulae *nec, neque* longe frequentius exhibeant vim adversativam, quam copulae quae sunt *et, que, atque.* Atque quum id semper sequatur Tacitus, ut devitatis aliis particulis, copulativis earum loco quoad

fieri potest utatur, palam est caussa qua permotus raro tantum adversativam quandam particulam conjungat cum voculis *nec* vel *neque*. Invenitur enim unum vocabulum *tamen* admodum saepius in hunc modum positum, quum vix huc vocandi sint loci ut Hist. IV, 61: *ceterum neque se neque quemquam Batavum in verba Galliarum adegit*, quo loco paene nulla est particulae *ceterum* vis adversativa, praeter quod exstat geminatum *neque*, ac desideratur conjunctio quaedam. Neque crebro legas locos quales Germ. 6: *sed nec variae gyros* cet. et Ann. IV, 26: *sed neque Blaesus ideo inlustrior*, atque *neque vero* ceteroquin apud Latinos usitatissimum ne ullo quidem loco invenitur.

Simplicissimum igitur nexus adversativi genus eo constat, quod mere sibi opponuntur duae sententiae vel notiones, alia ratione intercedente nulla. Patet autem, semper ex nexu in quo positae sint et ex sua ipsarum vi repetendum esse judicium, utrum accipiendae sint tanquam opposita, an in unum coeant. Nam particula ipsa nil significat, nisi quod altera ad alteram pertinet, idque vario modo fieri potest. Sic Hist. I, 13 verba: *nec minor gratia Icelo Galbae liberto* utcumque opponuntur iis quae praecedunt, contra enuntiatum quod exstat Hist. III, 70: *nec minus inhumane pars viae* cet. una cum prioribus verbis probationem continet ejus sententiae quae tamquam thema in capite totius ductus posita est: *foedum atque atrox spectaculum.* — Hist. I, 88: *nec deerant e contrario, qui ambitione stolida conspicua arma, insignes equos mercarentur.* Hist. III, 62: *procax moribus, neque absurdus ingenio.* Ann. XI, 17: *his atque talibus magnas copias coegere, nec pauciores Italicum sequebantur.*

Deinde oppositum membrum coercitionem quandam indicat ejus quod antecedit Hist. I, 29: *placuit pertentari animum cohortis, quae in Palatio stationem agebat, nec per ipsum Galbam cujus integra auctoritas majoribus remediis servabatur.* Hist. IV, 33: *machinas etiam, insolitum sibi, ausi. nec ulla ipsis sollertia.* IV, 59: *dein sumptis Romani imperii insignibus in castra venit, nec illi, quamquam ad omne facinus durato verba ultra suppeditavere, quam ut sacramentum recitaret.* Hist. V, 6: *influit oneratque, donec abscindas nec abscindere aere ferrove possis.* Si aliquid incidit minus exspectatum, Romani uti solent particula *tamen*. Etiam *nec tamen* quum aliis scriptoribus, tum Tacito non est inusitatum, sed

invenitur quoque simplex *nec* pressa quadam vi dictum, ac prioribus verbis coercitionem afferens. Agr. 8: *ita virtute in obsequendo, verecundia in praedicando extra invidiam, nec extra gloriam erat.* Germ. 21: *suscipere tam inimicitias seu patris seu propinqui, quam amicitias necesse est, nec implacabiles durant.* Germ. 42: *raro armis nostris, saepius pecunia juvantur, nec minus valent.* 45: *nec quae natura — gignat — quaesitum compertumve.* Hist. IV, 51: *magnificum laetumque tantis sociorum auxiliis ambiri, neque indigere.* Ann. II, 18: *magna ea victoria, neque cruenta nobis fuit* Cf. Ann. III, 24. 50. — Exuberant loci quibus *nec* cum *ideo* conjunctum invenimus, ita ut partes adversativae particulae sustineat (aber darum doch nicht) Hist. I, 75: *ita promissis simul ac minis tentabantur, ut bello impares in pace nihil amissuri neque ideo praetorianorum fides mutata.* Hist. IV, 44: *nec ideo lenita erga Mucianum invidia.* Ann. I, 12: *nec ideo iram ejus lenivit.* Ann. II, 42: *nec ideo sincerae caritatis fidem adsecutus.* III, 25: *nec ideo conjugia et educationes liberum frequentabantur.* VI, 42. XII, 39[1]). Similiter aliquando inveni *nec eo* cum comparativo quodam compositum: Hist. II, 92: *nec eo segnius invaserant domos hortes opesque imperii.* III, 25: *nec eo segnius propinquos adfinis fratres trucidatos spoliant.* — Alia quae aliter comparata sunt exempla addo haec: Agr. 8: *Nec Agricola umquam in suam famam gestis exsultavit.* Hist. I, 20: *nec remedium in ceteros fuit.* II, 15: *nec Vitelliani quamquam victi quievere.* His. III, 5: *nec his aut illis praelium tentantibus fortuna partium alibi transacta.* Ann. II, 37: *en stirps et progenies tot consulum, tot dictatorum nec ad invidiam ista, sed conciliandae misericordiae refero.* — Vehementissimam animi commotionem haec commissura exprimit Ann. XV, 67: *oderam te, inquit, nec quisquam tibi fidelior militum fuit, dum amari meruisti.*

Tertium quod cogitari potest genus conjunctionis adversativae ita comparatum est, ut posterius membrum prius plane tollat. Id vero tum solum fit, si loco negativae sententiae affirmativa quaedam substituitur, unde sequitur *neque* sic usurpari non posse. —

Quod affirmative exprimitur particulis *et-et*, id negative ge-

---

1) Sed invenitur etiam *non tamen ideo* vid. Ann. I, 72.

minatum *nec (neque)* efficit. Sed quum illa dicendi figura raro apud Tacitum reperiatur, haec creberrima est. Quod explicandum duco ex consuetudine Tacitina ea quae sibi opponantur acriter et abrupte proloquendi. Nam quo severius alterum negaveris, eo clarius extolletur alterum quod affirmabis. Atqui negat *nec-nec* pariter duas partes, quae unum atque totum conformant; ergo fortius est quam simplex *nec*, quoniam, si hoc ponis, deest notio generalior, quae ambo membra complectatur; porro majorem vim exhibet, quam si loco duarum partium una tantum atque generalior poneretur notio et negaretur, nam utrumque membrum singillatim ad animum adducit. Et licet id, quod oppositum est, non sit clare et perspicue indicatum, tamen aut latet in iis quae praecedunt vel sequuntur, aut ipsa negatione in animo nascitur et prosilit. Fieri enim solet in mente humana, ut id quod negatur, statim excitet cogitationem de eo quod contrarium est. Atque in lingua latina nullum exstat evidentius hujus rei exemplum, quam figura dicendi quae litotes vocatur. Veluti si dico *non immemor*, id enuntiatum accuratissime perpensum minime id significat, quod significatum vult Romanus, sed ut oppositio cogitari potest etiam *impiger* vel aliud quid, omnino omne id quod enuntiato *immemor* n o n indicatur. Romanus autem — ut logicorum appellationibus utar — non contradictorium, sed contrarium respicit; negatio geminata ei tantum ad intendendam et acuendam notionem facit, et intelligit enuntiatum *non immemor* tanquam *valde memor*. —

Attendendum primum est ad diversas formas: *nec-nec* et *neque-neque*, quarum posterior quum in omnibus Taciti scriptis tum maxime in annalibus priore frequentius invenitur [1]). Differunt vero eodem modo, ut voculae *nec* et *neque* semel positae, nisi quod de transitu designando plerumque omnino non cogitandum est, sed plurimum discriminis in numero verborum et euphonia poni debet. Atque duriorem esse et severiorem commissuram per *nec-nec* tactam clarissime iis apparet locis, quibus componuntur vocabula ab eadem consonante incipientia, quod non raro invenias: Hist. I, 9: *nec vitiis-nec viribus.* 16: *nec totam servitu-*

---

1) Qua in re Tacitus ac Vergilius diversissimi sunt. Cf. Wagneri quaestt. Verg. pag. 532.

tem — *nec totam libertatem.* 37: *nec privatum* — *nec principem* Ann. I, 45: *nec poena* — *nec poenitentia.* —

Etiam *nec* — *neque* (Germ. 9. Hist. IV, 31. Ann. II, 3), et *neque* — *nec* (Hist. II, 35. Ann. I, 32) soli euphoniae diversis modis inserviunt; ad sensum nullum discrimen [1]).

Mirus linguae latinae usus obviam est in commissura sententiarum vel notionum per *neque (nec)* — *et* facta, qua fit, ut duae dicendi rationes diversae commisceantur. Nam in unum coeunt et negativum membrum et affirmativum. Simillimus igitur est ei, de quo sub *etiam* exposuimus, qui quod tam multos videtur fugisse eo magis mirum est. Sed denuo habemus argumentum brevis atque densae Romanorum orationis, neque Tacitum ab eo abhorruisse valde consentaneum est. — Posterius membrum saepenumero gravius est quam primum, quod tamen semper fieri minime oportet. Sic, ut unum afferam, si in primo membro litotes cernitur, utrumque parem vim exhibet: Hist. II, 6: *Asia et ceterae provinciae nec virorum inopes et pecuniae opulentae.*

Et hoc in usu crebrius legitur *neque* — *et*, quam *nec* — *et.* Hist. I, 1: *sed incorruptam fidem professis neque amore quisquam et sine odio dicendus est.* Cap. 15: *neque ipse imperium ambitiose accepi, et judicii mei documentum sint non meae tantum necessitudines,* — *sed et tuae.* 16: *monere diutius neque temporis hujus, et impletum est omne consilium, si te bene elegi.* II, 96: *sed neque Aponius cuncta* — *perscripserat, et amici adulantes mollius interpretabantur.* III, 63. IV, 73. 74. V, 17, 20. Ann. II, 34: *isque finis rei, ex qua neque Piso inglorius et Caesar majore fama fuit.* Hoc loco novi editores codicis lectionem servaverunt, respueruntque Doederlini conjecturam, palmarem tamen. Ubinam, quaeso, in iis quae praecedunt de fama et gloria Tiberii sermo fuit, ita ut eas nunc augere posset? Immo Tiberius ut in infamiam ac flagitium rueret, valde verendum erat, itaque hoc non factum esse imprimis acuendum erat scriptori, idque fecit eo

1) Claudicant, ut solent comparata, ea quae de similitudine particularum: *nec* — *neque* et: *οὔτε* — *οὐδὲ* disseruit Waltherus ad dial. 29, quum Romani dicant etiam: *neque* — *nec*, *οὐδὲ* — *οὔτε* Graeci non item. Praeterea miror, quod W. *nec* et *οὔτε* leviores vocat particulas, fortiores: *neque et οὐδὲ.* —

quod litoteta adhibuit. Piso autem jam iis, quae supra de eo narrantur, praeclaram nactus erat famam, quam hoc liberalis animi documento adhuc amplificabat. Ergo non dubitandum esse censeo, Tacitum scripsisse: *ex qua neque Caesar inglorius et Piso majore fama fuit* — Ann. II, 51. IV, 73. XIII, 39. XIV, 5. —

Nec — *et*: Germ. 2: *quia nec terra olim sed classibus advehebantur, qui mutare sedes quaerebant, et immensus ultra — Oceanus ruris ab orbe nostro navibus aditur.* Hist. III, 1: *ipsis nec numerum parem pulsarum nuper legionum, et quamquam atrociter loquerentur, minorem esse apud victos animum.* Ann. II, 30. XIII, 34. —

Sed amore hujus proprietatis dicendi abreptus Tacitus interdum posterius membrum per *et* adjungit, etiamsi negativum sit. Ann. III, 35: *sed neque eadem adseveratione et consensu adulantium haut jutus est,* quo loco non bene fecit Halmius, quod de dictione *et* — *haut* dubitavit. Ann. III, 50: *est locus sententiae per quam neque huic delictum impune sit et nos clementiae simul ac severitatis non poeniteat.* Ac sentimus, quantum gravitatis de sententia decerpatur, si etiam posteriore membro: *neque* substituimus.

Pro *neque* — *et* semel invenitur *neque* — *ac* Agr. 10: *naturam Oceani atque aestus neque quaerere hujus operis ac multi rettulere,* quem usum rarissimum duxerim. Wexius bene contulit Suet. Vesp. 12: *mediocritatem pristinam neque dissimulavit unquam, ac frequenter etiam prae se tulit.* Quod vero putat vir doctissimus, Suetonii loco minus desiderari *et* quam nostro, mihi videtur eadem esse res, nam hic et illic membrum quod, insequitur, fortius est.

Deinde semel exstat *neque* — *que*, in oratione tamen. Ann. III, 12: *neque reum prohibeo quominus cuncta proferat, quibus innocentia ejus sublevari aut, si qua fuit iniquitas Germanici, coargui possit, vosque oro, ne objecta crimina pro adprobatis accipiatis* [1]. — Tum: *neque* — *et* — *neque:* Ann. I, 23: *ac ni propere neque*

---

1) *que* — *neque* num omnino dicatur, ignoro. Certe apud Tacitum non legitur. Neque vero quod Wellauerus. (Neue Jahrb. f. Philologie u. Paedag. Suppl. Bd. I, pag. 402) attulit exemplum Ovid. met. 12, 122 quicquam probat, quum ibi plane aliter res se habeat.

corpus ullum reperiri et servos adhibitis cruciatibus abnuere caedem, neque illi fuisse umquam fratrem pernotuisset, haut multum ab exitio legati aberant. Sentitur gradatio, per quam usque ad ultimum enuntiatum proceditur. — Denique inversa ratione: *et — nec — atque*: Hist. I, 53: *nec deerant in exercitu semina discordiae, quod et bello adversus Vindicem universus adfuerat, nec nisi occiso Nerone translatus in Galbam; atque in eo ipso sacramento vexillis inferioris Germaniae praeventus erat.* —

Efficitur gradatio ea quoque figura dicendi, quae est: *neque — ne — quidem.* Hist. II, 82: *donativom militi neque Mucianus prima oratione nisi modice ostenderat, ne Vespasianus quidem plus civili bello oblulit, quam alii in pace.* Saepius etiam legitur trimembris: Germ. 44: *enimvero neque nobilem neque ingenuum ne libertinum quidem armis praeponere regia utilitas est.* Ann. III, 14: *nam neque ambitionem militarem neque provinciam pessimo cuique obnoxiam, ne contumelias quidem adversum imperatorem infitiari poterat.* III, 50: *neque carcer, neque laqueus, ne servilis quidem cruciatus in eum suffecerint.* Contra *neque* ter repetitum uno tantum loco inveni, Hist. IV, 74 in oratione Cerealis: *nam neque quies gentium sine armis neque arma sine stipendiis neque stipendia sine tributis haberi queunt.*

Sed quam arcte constringere orationem ausus sit Tacitus, vix ullo evidentius eluceat usu, quam eo, ex quo prius *neque* simul ad ea quae antecedunt, totam sententiam adnectit [1]), sive copulative sive adversative [2]). a) Ann. I, 19: *Blaesus multa dicendi arte non per seditionem et turbas desideria militum ad Caesarem ferenda ait, neque veteres ab imperatoribus priscis neque ipsos a divo Augusto tam nova petivisse, et parum in tempore incipientes principis curas onerari.* Ann. II, 39: *atque ipse adire municipia obscuro diei, neque diutius isdem locis, sed* cet. Ann. III, 69: *excitari quosdam ad meliora magnitudine rerum, hebèscere alios. neque posse principem sua scientia cuncta complecti, neque expedire ut ambitione aliena trahatur.* IV, 7: *neque raro neque apud paucos*

---

1) Quam rem jam tetigimus cap. IV, 1.

2) Inveniri videtur hic usus etiam apud Catullum 8, 12 seq.: *vale puella jam Catullus obdurat, Nec te requiret, nec rogabit invitam*, quamquam dubius sis, num omnino particulae *nec* — *nec* sibi respondeant.

talia jaciebat. Interdum autem difficilius est ad dijudicandum, nonne in asyndeton intenderit scriptor. Germ. 44: *nec velis ministrantur, nec remos in ordinem lateribus adjungunt.* Ann. III, 44: *tanto impensius in securitatem compositus neque loco neque vultu mutato sed ut solitum per illos dies egit.* b) Ann. II, 3: *nec Tigrani diuturnum imperium fuit neque liberis ejus.* II, 7: *neque Silio ob subitos imbres aliut actum quam ut modicam praedam raperet, neque Caesari copiam pugnae opsessores fecere.* XIII, 47: *neque servorum quisquam neque clientium Sullae adgnitus.*

Eodem modo: *nec — et*: Hist. III, 75: *saxis tegulisque Vitellianos obruebant. neque illis manus nisi gladiis armatae, et arcessere tormenta aut missilia tela longum videbatur.* Cur a multis editoribus ante *et* positum sit semicolon, tanquam duae sententiae plane essent discernendae, ingenue fateor me non intelligere. Ann. I, 15: *neque populus ademptum jus questus est, nisi inani rumore, et senatus largitionibus ac precibus sordidis exsolutus libens tenuit.* Quin etiam *et — nec* sic inveniri contenderim, Ann. I, 44: *et gaudebat caedibus miles tamquam semet absolveret, nec Caesar arcebat, quando nullo ipsius jussu penes eosdem saevitia facti et invidia erat.* Posuerunt quidem semicolon ante *nec* editores; sed manifestum est, Caesarem et milites sibi stricte opponi. Ceteroquin particula *et* supervacanea est ac difficilis ad explicandum. —

At exstat aliquando *nec — nec* ita, ut utrumque sententiam suam adnectat, neque de responsione quadam cogitandum sit. Hist IV, 15: *statim accitis Frisiis duarum cohortium hiberna, proxima occupatu, Oceano inrumpit. nec praeviderant impetum hostium milites, nec si praevidissent satis virium ad arcendum erat.* Agr. 5: *Nec Agricola licenter more juvenum qui militiam in lasciviam vertunt, neque segniter ad voluptates et commeatus titulum tribunatus et inscitiam rettulit.* Quo nisus fundamento Wexius (prolegg. 137) contenderit, verba si recte haberent, legatur oportere: *aut* segniter — quippe glossema esse censet — equidem ignoro. Nam ut dici potest *neque* antecedente *non* vel alia negatione, ita etiam post *nec* quominus ponatur *neque* non video quid obstet.

Etenim ostendit Tacitus — ut jam ad nova procedam — miram in componendis sententiis vel notionibus negativis varie-

tatem, quae imprimis inde nascitur quod particulas disjunctivas scite adhibendi ante multos peritus est.

Usus quidem, de quo modo dixi, nimis frequens minime est credo ne obscurus fieret nexus sententiarum. Contra saepissime adnectitur enuntiatum quoddam per *neque* (rarius *nec*) si praecedit alia quaevis negatio, id quod plurimis exemplis supra comprobavimus. Indicatur autem ita, unumquodque enuntiatum propriam servare gravitatem, nec infrequenter ascensus orationis sentiri potest posteriore vel ultimo membro (affirmative: *etiam*). Quamquam, ut consentaneum, etiam *ne* — *quidem* in hoc usu est, ut Germ. 37: *non Samnis non Poeni non Hispaniae Galliaeve ne Parthi quidem saepius admonuere* vel Hist. I, 9, Ann. II, 80. — Atque adnectuntur in hunc modum et sententiae et singulae notiones. Quum autem voculis *nec* — *nec* significetur, duo vel plura cogitari membra, quae notionem quandam generaliorem prorsus impleant, ita ut illa in partes suas quasi dividatur, omniaque excludantur quae externa sunt, hic adjunguntur tantum membra orationis. Ceterum dicitur aliquando a Tacito *non* — *neque (nec)*, etiam si cogitatione *neque* — *neque* postuletur. Namque Germ. 22: *gens non astuta nec callida*, astuti sunt, ut recte adnotavit Kritzius: natura ad fallaciam facti, sed callidi: usu ad diripiendum exercitati. Atqui tertium cogitari nequit, unde apparet potuisse summo jure Tacitum hoc loco ponere *nec* — *nec*. Sed denuo respiciamus necesse est ea, quae exponebamus quum de raro juncturae *et* — *et* usu agebatur. Praefert enim adjungere tantum, quam ad perfectionem quandam et integritatem seriem notionum conformare. Atque quam vocavimus pluribus locis proprietatem prorsus Tacitinam, quod omnes periodos vel quae periodis similia sunt, quoad fieri potest, evitat, ea etiam in has pusillas res descendit. — Idem fere dici potest omnibus iis locis, ubi duae res contrariae ita componuntur. Agr. 19: *non studiis privatis nec ex commendatione aut precibus centurionem militesve ascire.* Sed id exemplum copiam facit ad explanandum disjunctivarum particularum usum transeundi. —

Habet hic usus singulare id, quod negatio discedit a notionibus vel sententiis ad quas pertinet, et cum pondere ac gravitate ante eas sedem capit ita ut vim suam per omnes quodcunque sunt pari modo extendat. Singula autem membra una vel

pluribus particulis disjunctivis accurate separata hac ratione singillatim negantur, nec ideo negatio plus semel poni debet. Jam intelligitur, hanc figuram imprimis tum locum habere, quum enuntiatum, quod ipsum plura minora enuntiata comprehendit, ut unum opponatur alii cuidam. Id vero aut praecedit atque modo negative comparatum est, ut loco ex Agr. nunc ipsum allato, modo affirmative ut Ann. II, 15. *orationem ducis secutus militum ardor, signumque pugnae datum. nec Arminius aut ceteri Germanorum proceres omittebant suos quisque testari.* Ann. III, 54: — *inanes et irritas neque mihi aut vobis usui futuras jure deprecor.* Sin vero sequitur, plerumque per *sed* oppositio designatur. Hist. I, 16: *sit ante oculos Nero, quem — non Vindex cum inermi provincia aut ego cum una legione, sed sua immanitas sua luxuria cervicibus publicis depulerunt.* I, 20: *cum rapacissimo cuique ac perditissimo non agri aut faenus, sed sola instrumenta vitiorum manerent.* I, 32: *neque illis judicium aut veritas, quippe eodem die diversa pari certamine postulaturis, sed tradito more* cet. Ann. II, 63: *scripsit Tiberio non ut profugus aut supplex, sed ex memoria prioris fortunae.* — Verum per se patet, etiam alias usurpari hanc dicendi rationem, dummodo negatio majore vi extollenda sit, ut in anaphora Ann. II, 63: *non Philippum Atheniensibus non Pyrrhum aut Antiochum populo R. perinde metuendos fuisse.*

Jam vero non perinde est quaenam ponatur ex particulis disjunctivis. Et dirimit quidem *aut* acerrime, ita ut praeter res quae ponuntur nihil amplius cogitari possit, atque proprie notio quaedam generalior negetur respectis partibus suis. Agr. 18: *ut obstupefacti hostes, qui classem, qui naves qui mare expectabant, nihil arduum aut invictum crediderint sic ad bellum venientibus.* Agitur de laboribus qui in pugnando militibus superandi sunt, quique constant et locorum importunitate (arduum) et hostium fortitudine (invictum). Inde explicatur quod in enuntiatis negativis *aut* tam saepe conjungit res contrarias. Hist. I, 17: *nullum turbati aut exsultantis animi motum.* III, 5: *nec his aut illis.* Posterius membrum saepenumero gradationem indicare, vix est quod commemoremus. Hist. II. 13: *nec ullis deinde terroribus aut morte constantiam vocis egregiae mutavit.*

Sed haec ratio quamquam in universum valet, tamen non desunt quae ab ea recedere videantur. Nos ut ad duo maxime

genera attendamus opus est. Primum si exstant plus duo membra, extremum per *aut* ita adnectitur, ut iis quae praecedunt plane par sit, neque vero duo ultima membra in unum colligat. Facere non possumus quin id, si leges cogitandi premimus, paullo indiligenter dictum esse censeamus. Verum reputemus oportet, omnino insitum esse hominibus ultimum longioris ductus membrum voce paullulum extollere, idque optime effici particula *aut*, quippe quae et fortiter disjungat nec non saepe gradationem indicet; deinde vero Tacitum, ut erat obnoxius consuetudini particulam disjunctivam in enuntiatis negativis usurpandi, facillime ad hanc licentiam excedere potuisse. Ann. III, 58: *nunc deum munere summum pontificum etiam summum hominum esse, non aemulationi non odio aut privatis adfectionibus obnoxium.* XIV, 15: *non nobilitas cuiquam non aetas aut acti honores impedimento.* Hist. II, 80: *in ipso nihil tumidum, adrogans, aut in rebus novis novum fuit.* Ultimo loco cernimus gradationem (überhaupt). —

Tum vero commemorandum est, *aut* in enuntiato negativo interdum disjunctivam vim ita amisisse, ut inter ipsas eas notiones locum habeat, quae arctiore quodam nexu cohaerent. Sic fieri poterat, ut duo vocabula conjungeret, quae hendiadyoin formabant, quorum igitur alterum ab altero accuratius explicabatur [1]. Atque denuo referendus est hic mos dicendi ad studium Nostri omnia quae compositionem syntacticam postulant in paratacticam orationem dissolvendi, vel, ut accuratius dicam, ea inter quae ratio peculiaris intercedit simplicissimo ac incompto quodam modo componendi. Videamus exempla. Hist. I, 56: *nec cuiquam ultra fides aut memoria prioris sacramenti, sed quod in seditionibus accidit, unde plures erant, omnes fuere.* Quo loco uno obtutu perspicitur, duas notiones per *aut* distentas, separatim et per se ipsas non valere, sed arcte cohaerere, et quidem ita ut prior sine altera cogitari non possit. Hist. I, 12: *paucis judicium aut reipublicae amor; multi stulta spe, prout quis amicus vel cliens, hunc vel illum ambitiosis rumoribus destinabant.* Si accurate insitam particulae *aut* significationem sequimur, dicitur: alteri parti paucorum judicium erat, alteri reipublicae amor; suf-

1) Cf. cap. II.

ficit autem levis insequentium verborum aspectus, ut hanc explicationem prorsus absurdam esse intelligamus. Cohaerent potius necessario duo vocabula. Nam esse poterant, qui quamvis recte et prudenter rerum statum perspicerent, persuasumque sibi haberent, hunc vel illum plane stultum esse neque imperii capacem quam ut adoptaretur, tamen, si deerat patriae amor, optare ac sperare possent, fore ut a Galba deligeretur, si quidem ipsis ex hac lectione emolumentum quoddam exuberaret. Rursum alii sincero reipublicae studio affecti esse poterant, quum tamen imperitum quendam adoptioni destinarent, quoniam judicium deerat. Sed hoc loco patet, eos tantum intelligi, quibus et judicium erat et reipublicae amor. Est vero eo insolentius enuntiatum, quia justa negatio non praecedit, sed desumenda est ex vocabulo *pauci*, i. e. *non multi.* — Ann. I, 41: *feminas inlustres, non centurionem ad tutelam*, *non militem, nihil imperatoriae uxoris aut comitatus soliti*[1]. Germ. 16: *materia ad omnia utuntur informi et citra speciem aut delectationem*[2].

Particula *aut* quum designet, ex iis de quibus agatur unum necessario accipiendum esse, si utimur vocula *vel* nihil attinet, utrum omnino quicquam ex iis, quae disjunguntur, accipiatur, necne. Quare suspicor, haud prorsus recte Lachmannum (ad Prop. pag. 318) discrimen inter *aut* atque *vel* statuisse id, quod particula *aut* prorsus excludat alterum, *vel* admittat. Nam excludit quidem revera *aut* alterum membrum, sed idem efficitur vocula *vel.* Propius ad verum nos accedere puto, si dicimus: duo membra per *aut* disjuncta unumquodque tertium vel quartum excludere, ita ut notionem qua comprehenduntur generaliorem ex omni parte impleant; contra si exstet *vel* nihil impedire quominus praeter haec duo membra etiam de alio vel aliis co-

---

1) Wurmii conjectura: *nihil imperatoriae uxori honoris* neque necessaria est, et offendit ingratissimo sono.

2) Invenitur is usus jam apud poetas. Apud Tibullum bis observavi: I, 4, 47: *Nec te poeniteat duros subiisse labores Aut opera insuetas atteruisse manus.* I, 9, 64: *Illa nulla queat, melius consumere noctem Aut operum varias disposuisse vices.* Deinde Prop. I, 10, 9 huc trahendus est, ubi legimus: *Quid tibi nunc misero prodest grave dicere carmen, Aut Amphioniae moenia flere lyrae?* Nam et hic subest cogitatio negativa.

gitemus. Aliter Handius (I, 528): per *aut* mutatur et tollitur res, quae dicta erat, aliaque substituitur, per *vel* mutatur cogitatio et aliud substituitur cogitatione; quibus simile est quod Reisigius exponit schol. lat. 441 seqq. Quae explicandi ratio, licet multis locis adhiberi possit, tamen in rectum ac verum mihi incumbere non videtur. Nam vix est verisimile, duos dicendi usus differre re, quae reapse ne exstet quidem (etenim res ut per se ipsae sunt a nobis neque aspiciuntur neque cogitantur), quae certe innumeris locis obliterata sit necdum possit agnosci.

Apparet autem vim disjunctivam particulae *vel* esse multo leviorem; unde factum est ut saepissime ab *aut* non discrepet, nisi quod illud fortius est. Ea vero levior disjungendi vis fortasse ex caussis fuit, cur tam raro post negationem poneretur, id quod jam Wolfius ad Ann. I, 32 jecit, confirmavit Lachmannus l. c. Ac re vera apud T. quoque pauca tantum exempla invenias. Ann. VI, 28: *neque mala vel bona quae vulgus putet.* XII, 57: *operis haud satis depressi ad lacus ima vel media*[1]). Hist. I, 83: *tumultus proximi initium non cupiditate vel odio, quae multos exercitus in discordiam egere, ac ne detrectatione quidem aut formidine periculorum.* Sequitur plerumque T. eum morem ut varietur inter *aut* ac *vel*, sive in sententiis quae quodammodo sibi respondent, sive ita ut enuntiatum per *aut* adnexum denuo dividatur in duas partes, ad quas disjungendas infirmior vis particulae *vel* aptissima est. Hist. II, 96: *non adversus divi Augusti acerrimam mentem, nec adversus cautissimam Tiberii senectutem, ne contra Caji quidem aut Claudii vel Neronis fundatam longo imperio domum exsurgimus*[2]). Loco quem modo tetigi, Ann. I, 32 Med. haec habet: *id militares animos altius conjectantibus praecipuum indicium magni atque implacabilis motus, quod neque disjecti nil paucorum instinctu, set pariter ardescerent, pariter silerent, tanta aequalitate et constantia ut regi crederes.* Grotius mutavit *nil* in *nec* quod nonnulli receperunt editores, Rhenanus in *vel*, quod probatur Handio IV, 140, Nolte in *aut*; Waltherus defendit codicis lectionem, Haase seclusit *neque disjecti.* Atque primum:

1) De hoc loco ab recentissimis editoribus temptato altius disseram sub *vel.*

2) E poetis exempla aliquot attulit Lachmannus l. c.

aut vel *vel* contra usum Tacitinum faceret, nam quod supra dixi — exhibere interdum *aut* parem vim ac *nec* vel *neque* quod praecedat — id tum solum valet, si ultimum adnectit trium saltem membrorum; sed *vel* ne sic quidem invenitur, quantum ego observavi. Certe tum dici debebat: non disjecti vel paucorum instinctu [1]. Neque Waltherum intelligo, qui *neque* explicat per nostrum *auch nicht, nicht einmal.* Haaseum vero nimis fortem loco attulisse medicinam facile probetur. Nam ut omittam quod concinnitas singulorum membrorum prave turbatur, quae omnia sint bipartita (magni atque implacabilis — neque disjecti nil paucorum instinctu — pariter ardescerent pariter silerent — aequalitate et constantia), nudum illud: nil paucorum instinctu ad sensum non sufficit ob ea quae opponuntur: pariter ardescerent pariter silerent. Nam nihil indicat: nisi: milites non paucorum turbidis atque seditiosis ingeniis concitatos esse (quod ex. gr. Pannonicis legionibus per Percennium factum erat cf. cap. 16); est igitur oppositio: sua quemque sponte egisse. Quod autem gravissimum est, eos nullo imperante et ducente, tamen uno animo consensuque omnia suscepisse, id designatur verbis: *neque disjecti.* Sic demum absolutus est sensus; sic demum in iis quae sequuntur verba: *ut regi crederes* habent quae respiciant. — Jam quid faciamus codicis lectioni? Num Grotium recte fecisse judicabimus? Minime vero. Ego pro certa habeo conjecturam: *quod nil paucorum instinctu, neque disjecti* [2]; namque elucet ex iis quae modo exposui, juste verba *neque disjecti* sumenda esse ut accuratius explicantia enuntiatum *nil paucorum instinctu.* Sin vero conceditur, reapse inter duo illa enuntiata intercedere rationem illam, ex qua alterum ab altero altius definiatur — et quis est quin hoc videat? — necessario sequitur, de *neque* — *nec*, quod duo membra ut aeque valentia distinet, hoc loco ne cogitari quidem posse. Contra omnia optime habent, si ex nostra scribitur conjectura, nec quicquam magis usum Tacitinum redolet, quam *neque* post

---

1) Liberius agere videntur poetae hujus aetatis. cf. Stat. silv. I, 4, 66: *nam neque plebejam aut dextro sine numine cretam Servo animam.* Plura apud Handium I, 545. Num jam a Vergilio sic dicatur, nunc ipsum non in promptu habeo.

2) Ut postea vidi, et Doederl. de hac transpositione cogitavit.

praecedentem negationem positum. Denique etiam objecto, quod est *nil* — si quidem post *instinctu* verbum quale *agerent* supplendum esse consentitur — non bene careas, imprimis respecto Taciti usu dicendi. Agr. 19: *nihil per libertos servosque publicae rei* Hist. I, 84: *vos quidem istud pro me.* Plura exempla Wexius ad Agr. 19 collegit. ut Liv. V, 43: *adversus quos Romani nihil temere nec trepide.* Cic. Philipp. I, 2: *mutata omnia, nihil per senatum, multa et magna per populum;* quam copiam facile augere possem.

Superest ut de *ve* dicamus, quod saepius invenitur quam part. *vel.* Res eadem est, nisi quod levissimo modo *ve* disjungit. Germ. 42: *nec Naristi Quadive degenerant.* Hist. I, 3: *nec enim umquam atrocioribus populi R. cladibus magisve justis indiciis adprobatum est* cet. cap. 19: *nec aliud dictum factumve.* 55: *nullo legatorum tribunorumve.* IV, 74: *nihil separatum clausumve.* Ann. XII, 35: *apud quos nullo loricarum galearumve tegmina.* Germ. 45: *nec quae natura, quaeve ratio gignat, quaesitum compertumve.* At solet Tac. variare particulas disjunct., quam ut bis *ve* repetat. Hist. II, 50: *neque inde coetu hominum aut circumvolitantium alitum territam pulsamve.* Germ. 6: *vix uni alterive cassis aut galea* [1]).

Numquam autem usurpantur *aut, vel, ve* ita ut opponant sententiam, quae suo verbo regitur. Qua in re conveniunt Tac. et Cicero, differt Vergilius [2]). —

Sed non solum semel positae particulae disjunct. in sententiis negativis adhibentur, verum etiam geminatae; tamen, ne nimium dicam, sola particula *aut.* Ac ne ea quidem creberrime invenias, quum omnino raro a Tacito ponatur, simili causa, opinor, ac *et* — et. Ceterum in historiis et scriptis minoribus frequentius etiam legitur, quam in annalibus. Consilium hujus rationis est, ut acuatur negatio pariter ac extollatur unumquodque membrum, id quod duplicato *aut* magis etiam fit, quam semel posito, ut consentaneum est. Agr. 9: *nec illi, quod est rarissimum aut facilitas auctoritatem aut severitas amorem diminuit.* 22: *nullum ab Agricola positum castellum aut vi hostium expugnatum aut*

---

1) Congessit a Vergilio exempla Wagnerus, quaestt. Verg. 572.

2) Cf. Wagner, quaestt. 577 seq. Reisig, schol. lat. adn. 413.

pactione ac fuga desertum. 34: *numquam exercitui imputari potuisse aut moras belli aut caussas rebellandi.* 43: *nec quisquam audita morte Agricolae aut laetatus est aut statim oblitus.* Germ. 6: *nec aut sacris adesse aut concilium inire ignominioso fas.* 8: *nec aut consilia earum aspernantur aut responsa negligunt.* Hist. I, 18. II, 16. 37. 40. III, 54. IV, 58. Ann. II, 34. XIV, 58. XIV, 49: *non ideo aut consules mutavere relationem aut Thrasea decessit sententia, ceterive quae probaverant deseruere. ve* haudquaquam pari vi valet, atque *aut*, sed verba: *aut Thrasea — deseruere* sumenda sunt ut totum et unum, quod opponatur sententiae antecedenti, ac dividatur in duas particulas. — Quin etiam post *neu* semel invenitur *aut — aut*: Hist. II, 48: *neu patruum sibi Othonem aut oblivisceretur unquam, aut nimium meminisset.* — At si in enuntiato negativo insuper ponitur: *neque — neque*, tum fortissima est, ut patet, negatio. Quod tamen rarissime legitur. Germ. 13: *nihil autem neque publicae neque privatae rei nisi armati agunt*, quo loco suspicor, Tac. ideo tantum n o n dixisse *aut — aut*, quoniam praecedit simile *autem.* —

Apte hoc loco addi potest usus, ex quo in oratione trimembri et negativa duo posteriora membra per *aut* opponuntur. Videtur sic part. *aut* ad significationem voculae *vel* prorsus deminuta esse, quum in sententiis affirmativis fere usquam propriam vim retineat. Difficillimum quidem plerumque est dijudicatu, utrum singula membra sic comparata sint, ut notionem quandam generaliorem prorsus expleant, omneque aliud excludant, necne. Agr. 31: *neque enim arva nobis aut metalla aut portus sunt.* Ann. III, 53: *quia non aedilis aut praetoris aut consulis partes sustineo.* Quod non alias cognoscas quam iis locis, ubi ultimum membrum quod notionis supersit colligere apparet (noch (oder) sonst). Germ. 31: *nulli domus aut ager aut aliqua cura.* Ann. XIII, 31: *edixit Caesar ne quis magistratus aut procurator qui provinciam obtineret, spectaculum gladiatorum aut ferarum aut quod aliud ludicrum ederet.*

Si adjungitur enuntiatum negativum quod finem quendam indicat, usurpatur particula *neve*[1]). Possunt vero loci, quibus

1) Pro *neve* interdum poni *neque*, ut negatio magis acuatur, quum notum sit, de ea re longum est, hoc loco in universum disputare. Bene tractaverunt

haec vocula invenitur — neque ita magnus est numerus — has in classes digeri. Frequentissimus est usus, si jam antecedit sententia quaedam finalis, vel si in tali sententia singula notio negativo modo adjungitur. Itaque, ut apparet, plerumque particula *ut* vel *ne* antecedet. Atque invenitur *ut* Ann. I, 42: *ut quidquid istut sceleris imminet, meo tantum sanguine pietur, neve occisus Augusti pronepos, interfecta Tiberii nurus nocentiores vos faciat.* II, 83; Hist. IV, 32; *ne*: Ann. I, 5: *monuit Liviam ne arcana domus ne consilia amicorum, ministeria militum vulgarentur, neve Tiberius vim principatus resolveret cuncta ad senatum vocando.* I, 7. II, 29. II, 58. III, 71. IV, 63. VI, 11. XII, 19. XIII, 28. XV, 22. 31. 73. Hist. IV, 46. Porro haud raro legitur in oratione indirecta, si praecedit conjunctivus quidam hortativus Ann. I, 44: *(orabant), revocaretur conjux, rediret legionum alumnus, neve opses Gallis traderetur.* II, 72. XVI, 10. Hist. II, 48 (bis). Agr. 15. Insigni ad exprimendam animi commotionem brevitate dicta sunt quae leguntur Ann. I, 35: *clamor oriebatur — mederetur fessis, neu mortem in isdem laboribus, sed finem tam exercitae militiae neque inopem requiem orabant* [1]. Similem affectum respirant verba Hist. III, 25: *precabatur piatos patris manes, neve se ut parricidam aversarentur* h. e. precabatur, ut essent piati, neve cet. Semel praecedit gerundivum: Ann. III, 63: *jussi ipsis in templis figere aera sacrandam ad memoriam neu specie religionis in ambitionem delaberentur.* — Si non praecedit sententia finalis, magis in usu est *et ne* (Ann. I, 60), vel *ac ne* (Ann. XV, 64), atque semel tantum invenitur *neu* Hist. II, 33: *neu quis obviam ire sententiae auderet, in adulationem concesserant.*

Tres sunt loci, quos hac data occasione paullo accuratius tractemus. Primus legitur Ann. XV, 63: *complectitur uxorem, et paululum adversus praesentem fortitudinem mollitus rogat oratque, temperaret dolorem aeternum susciperet, sed in contemplatione vitae per virtutem actae desiderium mariti solatiis honestis toleraret.* Inde a J. Fr. Gronovio plurimi ediderunt: *temperaret dolorem aeter-*

---

hanc quaestionem Wagnerus, quaestt. Verg. pag. 579 seq., Reisigius, schol. lat. pag. 588 seq. Madvigius, gr. lat. §. 459. Nostrum est, quas hac in re secutus sit leges Tacitus accuratius inquirere.

1) Vide quae bene adnotavit Nipperdejus. —

num suscipere, quae lectio dubia videtur primum propter singularem constructionem verbi quod est: *temperaret*, deinde ob sequens *sed*, quod quum magis ex more Tacitino sit *et*, aegre tueamur. Rectam sine dubio monstraverunt emendandi viam Haaseus et Halmius, prior si scribit: temperare dolori neve aeternum susciperet, alter edens: temperaret dolori neu aeternum susciperet. Tamen ut prorsus in sententiam alterutrius eam non adducor. Neque enim intelligo, quid dubii deprehendere Haaseus sibi visus sit in vocabulo sanissimo: *temperaret*, neque vero Halmii *neu* probandum est, quia observavi a Tacito, *neu* nunquam poni ante vocalem. Scribamus igitur: *temperaret dolori neve aeternum susciperet.* — Ann. XVI, 34: *igitur flentes queritantesque qui aderant facessere propere Thrasea neu pericula sua miscere cum sorte damnati hortatur.* Scribo *nec pericula* cum Nipperdejo. Nam nullo modo dici potest: *neu miscere,* etiamsi toleraremus infinitivum *facessere;* atque quomodo ab Orellio in comparationem vocari potuerit locus dissimilis Ann. I, 35 ego quidem non intelligo.

Ann. VI, 18: *sanxisse Augustum, quem intra diem ad praetorem urbanum deferrentur, neque habere privatim liceret* item cum Nipperd. facio, quum is scribat: *neve habere.* Nam nihil inest in sententia, quae antecedit, imperandi vel hortandi, sed solum factum narratur, atque in verbis *quem intra diem* maxima sententiae vis posita est. Adnotat vero rectissime Nipp., *neque* si sumeremus vulgari significatione, dici debuisse: *quem ultra diem.*

Quum conspexerimus locos, quibus *neve* apud Tac. legitur, intelligemus discrepantiam usus in singulis scriptis. Exstat enim *neve* in annalibus vicies semel, in historiis sexies, in Agricola semel, in Germania nullo loco. Geminatum *neve* non usurpatur. —

Veniamus ad usum particularum copulativarum in sententiis negativis, quae plura membra item conjungunt, ut subjiciantur negationi uni atque communi, minimumque saepe est discrimen inter eas et disjunctivas part. Fuerunt qui male contenderent, particul. cop. vim quandam negativam ipsas induere [1]) Nihilo-

---

1) Vide Wellauerum in Jahnii anall. phil. et paed. I. suppl. vol. pag. 402 seqq.

minus autem in duritia hujus haud raro offendimus, praesertim si adjunctum enuntiatum suo ipsius verbo regitur [1]). Rationem ex qua in ejusmodi sententiis modo *que* modo *ve* ponatur ad regulas restringere conatus est Wagnerus in quaestt. Verg. pag. 573 seqq.

Significant igitur part. copul. arctissimum conjunctorum membrorum nexum; quo fit ut ponantur inter notiones quae interiore quadam ratione cohaerent. Agr. 1: *nec id Rutilio et Scauro citra fidem aut obtrectationi fuit,* ubi Wexius scite dicit: sunt unum par ex eodem genere. Ann. II, 10: *neque conjugem et filium ejus hostiliter haberi.* III, 25: *nec ideo conjugia et educationes liberum frequentabantur.* Germ. 19: *nemo enim illic vitia ridet, nec corrumpere et corrumpi seculum vocatur.* Agr. 29 sentias, quid inter disjunctivam et copulativam part. intersit: *quem casum neque ut plerique fortium virorum ambitiose neque per lamenta rursus ac moerorem muliebriter tulit;* optime enim vocabula *lamenta* et *moerorem* per *aut* separari poterant, quippe cum lamenta gemitu et lacrimis sese aperiant, moerens autem cum silentio doleat. Tamen ne *ac* quidem falsum est, quod duas notiones quam arctissime colligit opponitque vocabulo: *ambitiose.* Omnino verba sensu similia, quae sibi invicem aliquid supplementi afferunt, plerumque particula cop. conjunguntur. Hist. III, 82: *ratio cunctandi, ne asperatus praelio miles non populo, non senatui, ne templis quidem ac delubris deorum consuleret.* Hist. IV, 58: *vestri me pudet miseretque, adversus quos non praelium et acies parantur.* Quamquam in talibus rebus primas partes agit semper arbitrium scriptoris, ut edocet Ann. III, 39: *neque aciem a u t proelium dici decuerit, in quo semermi ac palantes trucidati sunt sine nostro sanguine;* non sese excludunt *proelium* atque *acies* sed conjunctissima sunt. Sed caussa, qua permotus scriptor posuit *aut,* mihi videtur fuisse, quod in iis quae sequuntur duo vocabula, quae respondent, per *ac* connexa sunt (semermi — aciem; palantes — proelium). Haec variatio apud Tac. in consuetudinem se vertit, ut ea utatur ubicunque fieri licet [2]). — Deinde

1) Cf. locos, imprimis e Lucano, quos collegit Haaseus ad Reisigii schol. lat. adn. 413.

2) Accuratius de hac re disputabimus sub *aut.* —

invenies copulam, si alterum membrum alterius explicationi inservit, vel ex eo consequitur. Hist. I, 21: *nec Lusitaniam rursus et alterius exsilii honorem exspectandum* I, 36: *tantus ardor ut non contenti agmine et corporibus in suggestu, in quo paullo ante aurea Galbae statua fuerat, medium inter signa Othonem vexillis circumdarent. nec tribunis aut centurionibus adeundi locus.* Ann. III, 5: *at Germanico ne solitos quidem et cuicumque nobili debitos honores contigisse.* — Plerumque etiam in figura: non modo (tantum) — sed (etiam): Ann. III, 33: *non imbecillum tantum et imparem laboribus sexum, sed si licentia adsit, saevum, ambitiosum, potestatis avidum.* Cap. 44: *At Romae non Treveros modo et Aeduos sed quatuor et sexaginta Galliarum civitates descivisse.* Contra *aut*: Hist. I, 4: *non modo in urbe apud patres aut populum aut urbanum militem sed* cet. Solet quoque poni copula, si enuntiatum, quod negationem sequitur, et per *aut* adnectitur in duas partes denuo dividitur, ut Agr. 22: *nullum ab Agricola positum castellum aut vi hostium expugnatum aut pactione ac fuga desertum.* Plura ejusmodi dabo sub *aut.* —

Verum rhetorice quoque spectanda est hac in re. Potest enim, si in sententia negativa plura adjunguntur membra copulative, id subesse consilium, ut vis ac natura membrorum ipsa magis se ostendat, negationis ratione parum habita. Ita hanc compositionem interdum invenimus in commota oratione, si rebus ipsis ita affectus est scriptor, ut negationis paene obliviscatur. Hist. I, 50: *nec illos Capitolii aspectus et imminentium templorum religio et priores et futuri principes terruere quo minus facerent scelus cujus ultor est quisquis successit.* Agr. 45: *non vidit Agricola obsessam curiam et clausum armis senatum et eadem strage tot consularium caedes tot nobilissimarum feminarum exsilia et fugas.* Ne praetermittas gradationem hujus loci. Atque dignus est qui comparetur locus Senec. cons. ad Marc. 20, 5, a Wexio allatus; ubi, quum singula membra non per *et* sed per *nec* adjuncta sint prorsus alius color toti sententiae superfunditur. Verba haec sunt: *non vidisset strictos in civilia capita mucrones nec divisa percussoribus occisorum bona, ut etiam de suo perirent, non hastam consularia spolia vendentem nec caedes nec locata publice latrocinia, bella, rapinas, tantum Catilinarum.* —

At numquam apud Tac. *et* — *et* negationem sequitur quod num omnino latine dicatur valde dubium est[1]. —

Jam nihil reliquum est, nisi ut agamus de *ne* — *quidem* et *nedum.* Prioris enuntiati aliquoties mentionem jam injecimus. Sustinet enim easdem partes in sententiis negativis, quas in affirmativis *etiam* vel *quoque*, sustinent quatenus et id gradationi inservire potest. Si nova quaedam sententia accedit, tamen Tac. raro dicit: *ac* — *ne quidem* (Hist. I, 83. Ann. III, 27. XI, 22. XIV, 21; denotatur sic oppositio Ann. I, 50); plerumque nudo *ne* — *quidem* contentus est cf. Germ. 5. 6. 28. Hist. II, 15. 44. 68. cet. *nec* — *quidem* pro *et ne* — *quidem* dici non potest, quia illud *nĕ* quod inest in *neque* et *nec* plane diversum est a particula: *nē*[2], atque apud optimos scriptores si legitur *nec* — *quidem* id ita explicandum est, ut duo vocabula non cohaereant, sed adjungat *nec,* extollat verbum cui postponitur *quidem.* Itaque locis ubi apud Tacitum exstat: Ann. IV, 35. XIV, 35. Hist. I, 66. IV, 38[3] corrigendum erat, imprimis quum codicibus hac in re exigua solum fides habenda sit, nisi etiam apud Suetonium, Senecam, Plinium, Quinctilianum exempla hujus usus invenirentur. Quare cavendum est, ne temere agamus. Nam rectissime monet Haaseus[4], apud scriptores recentiores, quum saepissime *nec* pro *ne* — *quidem* dictum sit, facillime has duas dicendi rationes commisceri potuisse. Censeo igitur de hac re prius ad firmum judicium perveniri non posse, quam ex omnibus hujus aetatis scriptoribus loci quam accuratissime collati sint, ita ut totus usus uni conspectui subjiciatur. Quae quum ab incepto nostro remota sint, hanc quoque de Taciti usu quaestionem nunc quidem in medio relinquamus oportet.

Sed ut loco particulae *etiam* usurpari potest *et*, sic etiam pro *ne*— *quidem nec* haud infrequenter dicitur. Atque invenitur modo initio sententiae (= und auch nicht) modo media oratione (= auch nicht, so-

---

1) Cf. Reisig. pag. 420 et adn. Haasei 413. *que* — *et* apud Tibullum paullo licentius scribentem semel hanc in modum obviam est II, 4, 17: *nec refero solisque vias et qualis, ubi orbem Complevit versis Luna recurrit.* Sed vide quae de hoc loco dixi cap. IV, in adnot.

2) Cf. Reisig pag. 588 seq.

3) Germ. 7 unus cod. Londinensis habet: *nec verberare quidem.*

4) Ad Reisig schol. lat. adn. 497.

gar nicht). Liceat afferre exempla. a) Ann. I, 53: *nec is libidini finis.* I, 59: *neque probris temperabat.* 65: *neque is miseriarum finis.* II, 38: *neque miseratus est posthac Tiberius.* XII, 43: *at Hercule olim Italia legionibus longinquas in provincias commeatus portabat, nec nunc infecunditate laboratur.* III, 44: *nec Galliae cunctabantur.* IV, 68: *nec relinquenda urbs sine rectore.* V, 24, *neque abhorret vero.* — b) Ann. II, 82: *quamquam neque insignibus lugentium abstinerent.* Ann. IV, 34: *neque haec.* Hist. IV, 80: *ita neque averso imperatoris animo.* Ann. III, 29: *neque tum.* Insigni brevitate pro: *ne tum quidem* legitur Ann. III, 12 nudum *nec,* in hunc modum: *nemo Drusi lacrimas, nemo maestitiam meam spectet, nec si qua in nos adversa finguntur.*

De adversativo usu et quomodo post negationem usurpetur *ne — quidem* supra exposuimus.

Nedum inter ea vocabula est, quae raro a Tacito dicuntur. Nam tredecies tantum legitur, decies in annalibus, ter in historiis. Atque ut inde a Livio irrepsit consuetudo [1]), ita etiam apud Nostrum particula invenitur nulla praecedente negatione, et significat fortissimam gradationem. Ann. II, 42: *quia regibus aeque nedum infima insolita sunt.* XIII, 15. 20. 38. XV, 59. Hist. III, 66. In sententiis negativis post *nequidem* locum habet: ann. III, 73: *ne Spartaco quidem datum ut pacto in fidem acciperetur, nedum — latro Tacfarinas pace et concessione agrorum redimeretur.* XIV, 35. Si plenam sententiam instituit, conjunctivum secum habet, ut est cognoscere ex exemplo modo adscripto, cui addas: Ann. XIV, 15. Hist. II, 38. III, 66, sed etiam adverbii vice fungitur ante singularem notionem, id quod longe saepius apud Tacitum invenitur. Ann. II, 42. IV, 11. XI, 27. XIII, 15. 20. 38. XIV, 35. XV, 59. Hist. V, 5. —

CAPUT SEPTIMUM.

DE ENUNTIATIS PER PARTICULAS ADVERSATIVAS COMPOSITIS.

Usus particularum adversativarum tam arctis finibus circumscriptus est, ut fere minus in rem videatur esse, si quaerimus,

1) Vide Madv. gr. lat. §. 461 adn. 3.

quid significent, quam quid non significent. Nam plures rarissime vel omnino nullo loco inveniuntur, quae paullo crebriores sunt varietates tamen non praebent.

Ratio per has particulas enuntiata componendi in tria discedit genera, de quibus jam cap. anteced. diximus: oppositionem, coercitionem, substitutionem. Neque videtur improbabile, diversas voculas ad designanda haec singula genera proprie confictas esse — et significat *at* solam oppositionem, *tamen* solam coercitionem — verum tamen in multis alia discriminandi ratio adhibenda est.

1. Significatio particulae *at*, quae in annalibus longe saepius legitur, quam in historiis scriptisque minoribus, duplex intelligi debet. Primum enim novi quid apponit, quod iis quae antecedunt tamquam oppositum cogitatur. Is usus frequentior est, imprimis initio capitis. Sufficiat ex historiis adscribere exempla maxime memorabilia. Hist. I, 53: *At in superiore Germania Caecina — studia militum inlexerat.* 55: *quinta decuma ac sexta decuma legiones nihil ultra fremitum et minas ausae initium erumpendi circumspectabant. at in superiore exercitu quarta ac duoetvicesima legiones — dirumpunt imagines Galbae.* II, 20. 45. 55. 74. 86. III, 13. 22. 36. 54. 64. IV, 3. 18. 28. 51. 68. 71. V, 14.

Deinde fortissime acuit, sententiam alii cuidam opponi, ita ut significationes vocularum *at contra* una fere comprehendere videatur[1]). Germ. 37: *quid aliud nobis quam caedem Crassi — infra Ventidium dejectus Oriens objecerit? at Germani — quinque simul consulares exercitus — abstulerunt.* Hist. IV, 35: *plures quam jussum erat profecti palam in agmine fremebant, non se ultra famem, insidias legatorum toleraturos. at qui remanserant, desertos se abducta parte legionum querebantur.* Ann. I, 14: *ne lictorem quidem ei decerni passus est, aramque adoptionis et alia hujuscemodi prohibuit. at Germanico Caesari proconsulare imperium petivit.* I, 47: *quos igitur anteferret? ac ne postpositi contumelia incenderentur? at per filios pariter adiri majestate salva.* I, 67. II, 5. III, 26. IV, 36. VI, 20. 28 — Agr. 1. 39: *at nunc.* —

---

1) Ipsa junctura: *at contra* semel tantum invenitur; vide infra.

Haec in universum. Transeo ad singula quaedam expediendo. Atque primum denotare liceat, ut omnino soleant Romani [1]), ita etiam apud Tacitum interdum conjungi *at* cum pronomine quodam. Sic Hist. I, 20: *appellari singulos jussit decuma parte liberalitatis apud quemque eorum relicta. at illis vix decumae super portiones erant.* Ann. I, 35: *opposuerunt abeunti arma, minitantes ni regrederetur. at ille moriturum potius quam fidem exueret clamitans* cet. II, 5: *at ille — tractare proeliorum vias* II, 46: *at se.* Hist. IV, 14: *at sibi.* Ann. XII, 45: *at nobis* [2]). — Deinde aliquoties obviam est *at certe* praecedentibus particulis *si non.* Germ. 33 *si non amor nostri, at certe odium sui.* Ann. XII, 39. Hist, IV, 58. Raro (quater) legitur: *at non* [3]): Hist. II, 70: *at non Vitellius flexit oculos.* Ann. VI, 10. XII, 36. XV, 68. *at hercule*, quod quinquies legitur, semper affectum quendam rhetorico modo depingit, quare ter in orationibus exstat: Ann. I, 17: *at hercule verbera et vulnera, duram hiemem, exercitas aestates, bellum atrox aut sterilem pacem sempiterna.* I, 26: *at hercule verbera et necem cunctis permitti.* III, 54: *at hercule nemo refert, quod Italia externae opis indiget.* Praeterea: Ann. I, 3: *at hercule Germanicum Druso ortum octo apud Rhenum legionibus imposuit.* XII, 43: *at hercule olim Italia legionibus longinquas in provincias commeatus portabat.* — Aliquando etiam in orationibus, si orator sibi ipse contra dicit — id quod item ad rhetoricen pertinet — invenitur *at:* Ann. III, 34: *bella plane accinctis obeunda: sed revertentibus post laborem quod honestius quam uxorium levamentum? at quasdam in ambitionem aut avaritiam prolapsas. quid? ipsorum magistratuum nonne plerosque variis libidinibus obnoxios? non tamen ideo neminem in provinciam mitti.* XI, 24: *at cum Senonibus pugnavimus: scilicet Vulsci et Aequi numquam adversam nobis aciem instruxere.* XIV, 44: *at quidam insontes peribunt. nam et ex fuso exercitu cum decumus quisque fusti feritur, etiam strenui sortiuntur.* Hoc solo modo bis legitur *at enim*: Ann. IV, 40: *at enim Augustus filiam suam equiti Romano tradere meditatus est.*

---

1) Cf. Hand. I, 420.

2) Is locus injuria ut videtur ab Haaseo et Nipperdejo obelo notatus est. Egregie demonstrat Doederlinus, hanc sententiam utique necessariam esse.

3) Cf. quae exposuimus cap. anteced.

Ann. XII, 6: *at enim nova nobis in fratrum filias conjugia.* Sed omnibus his, ut intelligitur, historiae et scripta minora vacua sunt. — Denique semel habes *at contra* Ann. IV, 28. —

Loco qui est Ann. XII, 17: *postero misere legatos, veniam liberis corporibus orantes: servitii decem milia offerebant. quod aspernati sunt victores, quia trucidare deditos saevum, tantum multitudinem custodia cingere arduum, ut belli potius jure caderent,* jure offenderunt homines docti in vocabulo *ut.* Nam haud dubie nimium dat Baiterus brevitati Tacitinae adversus perspicuitatem orationis, si ex *aspernati sunt* ad vocabulum *ut* suppleri vult *decreverunt.* Quare Nipperdejus praeeunte Ernestio delevit; Acidalius de transpositione cogitavit, Rittero nuperrime[1]) ante *ut* vocabulum *placitum* inserere visum est. Haaseus denique scripsit: *at belli potius jure caderent,* sensus ratione parum habita. Hic enim non agitur de oppositione, eaque tam forti, sed nexus manifesto is est, ut illa sententia ex iis quae praecedunt consequatur. Quod nulla particula magis ad consuetudinem Tacitinam exprimitur, quam particula *ita,* ergo non dubitandum, quin sic scribendum sit. Locus ex omni parte concinens est Ann. XII, 12: *monet Meherdatem, barbarorum impetus acres cunctatione languescere aut in perfidiam mutari; ita urgueret coepta.* Praeterea cf. Ann. IV, 55: *Ephesii Milesiique, hi Apollinis, illi Dianae caerimonia occupavisse civitates visi. ita Sardianos inter Zmyrnaeosque deliberatum.* V, 4: *populus — falsas literas et principe invito exitium domui ejus intendi clamitat. ita nihil triste illo die patratum.* Agr. 12: *rarus duabus tribusve civitatibus ad propulsandum commune periculum conventus. ita singuli pugnant universi vincuntur.* VI, 19. IV, 15. 43. —

Alio loco Nipperdejus perperam *at* in contextum verborum intrusit pro *ac* quod habet Mediceus. Exstat Ann. XIV, 33, atque haec sunt verba: *neque enim capere aut venundare aliudve quod belli commercium, sed caedes patibula ignes cruces, tamquam reddituri supplicium ac praerepta interim ultione, festinabant.* Nam enuntiata conjuncta cogitari optime possunt; quin etiam, quum ageretur de coercitione quadam, *at* plane ineptum erat, et certe dici debebat *sed* vel *tamen.* —

---

1) Philolog. 19, 673.

Proprietas vero dicendi, quam apud Tacitum observasse mihi visus sum, ea est, quod per particulam *at* semper plenae tantum sententiae opponuntur, singulae notiones non item. Contra quam legem solus facit locus Ann. XI, 37: *astitit tribunus per silentium at libertus increpans multis et servilibus probris,* quare fortasse et hoc loco *ac* scribendum est, ut ubique alias, cf. ann. XII, 20: *modicam victoribus laudem ac multum infamiae si pellerentur.* Argumentum quidem ex omni parte firmum non est. — Contra summa injuria nonnulli deleverunt *at*: Ann. XI, 4: *vocantur post haec patres, pergitque Suillius addere reos equites Romanos inlustres, quibus Petra cognomentum. at causa necis ex eo, quod domum suam Mnesteris et Poppaeae congressibus praebuissent.* qui locus a Nipperdejo recte intellectus est. —

2. *atqui* uno loco Ann. III, 54 a Tacito usurpatur, et in oratione. Vis autem ea est, ut in syllogismo propositionem minorem, quam vocant logici, instituat[1]).

3. Particulam *attamen* codices bis exhibent: Ann. XI, 24 et Hist. IV, 55; alioquin Tacitus semper dicit *ac tamen*[2]), quae junctura in universum quater decies legitur, bis in historiis (I, 20. V, 16), duo decies in annalibus (III, 29. 56. 72. VI, 39. VI, 28. 36. XI, 24. XII, 11. 12. 56. XIV, 21. 55), praeterea *et tamen* bis (Hist. IV, 76. Ann. XV, 62). Qua ratione permotus, ut videtur, Halmius incidit in conjecturam, duobus illis locis *attamen* mutandum esse in *ac tamen.* Sed quum diversitas quaedam significationis — certe tam gravis ut excuset mutationem — cognosci non possit, hoc judicium externis tantum nititur argumentis et fallacibus. Minime omnium Ann. XI, 24 probaverim mutationem; nam ibi in oratione exstat: *attamen*; orationes autem multa exhibent, quae ab universo Taciti usu recedunt. —

4) De raro vocabulo *autem* disputavit Haaseus[3]). Atque in Agricola nullo loco exstat, in Germania cap. 13 et 16, quo altero loco temere a Mureto et Halmio deletur, quum omnes

---

1) Animi caussa hoc loco admonuerim, etiam particulam *idcirco* semel tantum apud Tacitum legi, et ann. I, 12. Oratio est indirecta.

2) Nam locus Ann. XII, 20: *At Claudius, quamquam nobilitatibus externis mitis, dubitavit tamen, huc non pertinet.*

3) Philolog. III, 153 seq.

codices conveniant [1]). Deinde in historiis bis exhibetur: II, 20 et IV, 32, denique sexies in annalibus: III, 53. 73. IV, 28. VI, 11. XIII, 25. XVII, 17. Namque minime iis assentiri possum, qui Hist. II, 20 et Ann. XIII [2]) temptant particulam, nimirum nulla adducti alia caussa, quam quod ceteroqnin *autem* nisi in orationibus directis vel indirectis non inveniri sibi visi sunt observasse, quum etiam in Germania bis in narratione legatur. An sunt, qui Hist. IV, 23 et Agr. 38 *nec umquam* et *nec usquam* scribi velint, quia alioquin semper sic dicit Tacitus, vel Ann. IV, 26. Hist. I, 75 *neque ideo* in *nec ideo* mutare audeant, vel etiam *idcirco* quum semel tantum inveniatur, pro *ideo* male scriptum esse ducant, et loco particulae *atqui* aliud quid substituere non reformident? Etenim utroque loco *autem* optime habet. — Itaque Haasei regulae sic fere temperandae videntur: 1) *autem* exceptis duobus Germaniae locis, solum si personae sibi opponuntur apud Tacitum in usu est. 2) Plerumque in orationibus exstat, sive directis sive indirectis. 3) In annalibus, si missum faciamus locum XIII, 25, semper ita invenitur, ut praecedat *quidem* [3]).

5. *Vero* viginti tribus locis obviam est, quorum ex Agricola pro exiguitate libelli plurimi desumpti sunt, sc quinque, ex Germania unus, ex historiis decem, ex annalibus septem. Quum autem *vero* fere semper rhetoricae inserviat, ex hoc conspectu denuo patet, scriptorem magis magisque stilum suum ad eam quam admiramur gravitatem et severitatem excoluisse. — Singula exempla si consideramus, utique fere invenimus *vero* in formulis ad certum usum coalitis, neque plus tria sunt aliter comparata: Agr. 42: *Domitiani vero natura.* Hist. I, 85: *coacto vero in curiam senatu.* III, 2: *equites vero* (orat. indir.). Formulae autem de quibus dixi, hae sunt: *jam vero* gradationem indicans, quae aut in rebus ipsis posita est (vollends aber): Hist., I, 2: *jam vero Italia novis cladibus vel post longam saeculorum seriem*

1) Cf. Massmanni ed.

2) Hoc loco, quamquam distincte perspici non potest, utrum praebeat codex *aũ* (autem), an *tũ* (tum), tamen *tum* mancum sensum funderet.

3) Videtur omnino fuisse *autem* vox admodum rara posteriore tempore. Etiam Tibullus ea non utitur, contra Lygdanus semel: 5, 3.

repetitis adflicta. Germ. 14. Agr. 21; aut sola pronuntiatione palam fit (besonders aber ist das zu bemerken, dass): Agr. 9: *jam vero tempora curarum remissionumque divisa.* — *tum vero* quinque locis legitur, qui omnes ita comparati sunt, ut cum affectu et commotione animi indicetur, novam quandam actionem aliam insequi: Agr. 37: *transvectae praecepto ducis a fronte pugnantium alae aversam hostium aciem invasere. tum vero — grande et atrox spectaculum.* Hist. I, 35 (init. cap.): *tum vero non 'populus tantum — sed equitum plerique ac senatorum — ruere intus.* 81: *abire propere omnes e convivio jussit. tum vero passim magistratus projectis insignibus — incertas latebras petivere.* IV, 29: *restincto igne misceri cuncta tenebris et armis jubet. tum vero strepitus dissoni, casus incerti* cet. Ann. I, 35: *si vellet imperium, promtas res ostentavere. tum vero, quasi scelere contaminaretur, praeceps tribunali desiluit.* Quare ad conjecturam adducimur, Tacitum Ann. IV, 17 ubi leguntur: *Tiberius haud umquam domui Germanici mitis, tum vero aequari adulescentes senectae suae impatienter indoluit* scripsisse: *tunc vero*; namque agitur de indicando certo quodam temporis puncto, oppositaque haud dubie sunt vocabula: *haud umquam. tum vero* nisi ex animo scriptoris dictum non cogitari posset, et apponeret additamentum sicut Ann. XIII, 3: *Tiberius artem quoque callebat, qua verba expenderet, tum validus sensibus aut consulto ambiguus.* Sed ita verba absurde languere quis est quin videat? Accedit quod unico loco, quo praeterea adhibuit *tunc vero* scriptor, sententia prorsus in eundem modum composita est: Ann. I, 11: *Tiberio etiam in rebus quas non occuleret, seu natura sive adsuetudine, suspensa semper et obscura verba; tunc vero nitenti ut sensus suos penitus abderet, in incertum et ambiguum magis implicabantur.* Locum quo vocabula *tunc* et *numquam* sibi opponuntur insuper habes Hist. III, 46: *mota et Dacorum gens numquam fida. tunc sine metu abducto e Moesia exercitu.* — *ut vero:* Hist. II, 29: *paventes, silentio, patientia, postremo precibus ac lacrimis veniam quaerebant. ut vero deformis et flens et praeter spem incolumis Valens processit, gaudium, miseratio, favor.* IV, 46: *illos primus statim adspectus obstupefecerat —: ut vero huc illuc distrahi coepere metus per omnes.* Ann. VI, 10 (init. cap.): *ut vero Latinium Latiarem ingressus est.* Et *postquam vero:* Ann. XIV, 44: *suspecta majoribus nostris fuerunt ingenia servorum, etiam*

cum in agris aut domibus isdem nascerentur. postquam vero nationes in familiis habemus — conluviem istam non nisi metu coercueris. Quibus omnibus locis affectum persentiscas. — *id vero:* Hist. III, 21. IV, 4. Ann. XII, 6. — *tu vero* Agr. 45, summam animi commotionem spirans; *vos vero* ann. III, 12 (or.). —

6. *enimvero* quamquam non mera particula adversativa est, tamen non inepte hoc loco tractetur. Exstat neque in Agricola neque in historiis, at semel in Germ., undecies in annalibus. Atque distingui possunt tres species: a) vim mere confirmativam exhibet: 44. Ann. I, 17. VI, 41. XII, 64. b) Sentitur aliquid adversativae significationis: Ann. II, 64. IV, 60. VI, 31. c) Indicat particula ascensum orationis: Ann. XII, 34. XIV, 14. XV, 45. 55. XVI, 29. —

7. *Verum* in solis annalibus a Tacito usurpatur, et viginti tribus illic locis [1]. Tamen neque significatio propria et nativa, neque certus quidam usus cognosci potest. Nam nunc proxime ad *sed* accedit, nunc *at* tangit, nunc vergit ad notionem particulae *ceterum,* multisque locis dubitari nequit, quin variandi caussa positum sit. Praecedente negatione, ita ut loco prioris enuntiati alterum substituatur, invenitur Ann. I, 58: *neque odio patriae, verum quia Romanis Germanisque idem conducere et pacem quam bellum probabam.* III, 16. IV, 71. XI, 27. XIII, 1. XIV, 35. 59. VI, 28: *alii fatum quidem congruere rebus putant, sed non e vagis stellis, verum apud principia et nexus naturalium causarum,* quo uno eodemque loco particulas *sed* ac *verum* comprehensas habes. Fortiorem autem esse *verum* magisque adseverantem, ne ullo quidem certo argumento comprobari potest. *verum etiam* post *non modo* a Tacito non dicitur. — Deinde cum vi coercente legimus: Ann. I, 10: *pacem sine dubio post haec, verum cruentam.* III, 55, quo quidem loco significatio non plane patet propter corruptionem sententiae. IV, 55. VI, 21. XII, 20. 65. XIV, 56, ubi praetulerim Haasei transpositionem, nam si cum Spengelio facimus, vis particulae adversativae non clare intelligitur. — Tum transitui inservit, sicut *at,* quatenus novum quoddam iis quae hactenus dicta sint, opponit. IV, 50 (init. cap.): *Verum e ducibus Dinis — ponenda arma, unum adflictis id remedium disse-*

1) Nam Ann. XII, 58 a deterioribus aliquot codicibus solis exhibetur.

rebat. VI, 35. XIV, 5. Vel, ut *sed*, instituit enuntiatum, quod ex veritate rem ipsam profert adversus falsam quandam speciem: Ann. XI, 12, vel vice versa: XI, 4: *caussa necis ex eo, quod domum suam Mnesteris et Poppaeae congressibus praebuissent. verum nocturnae quietis species alteri objecta.*

Si digressio quaedam facta est, per *verum* reditur ad rerum ordinem, qua vice plerumque funguntur *sed* atque *ceterum*: Ann. IV, 71: *verum has atque alias sontium poenas in tempore trademus.* — Denique designat acrem oppositionem VI, 50, XV, 10. — Particula *verum tamen* Tacitus non utitur [1].

8. Paullo latius patet usus particulae *sed.* Primum de mera oppositione. Germ. 29: *non multum ex ripa, sed insulam Rheni amnis colunt (dagegen aber).* 42: *jam et externos patiuntur. sed vis et potentia regibus ex auctoritate Romana.* 43: *praesidet sacerdos muliebri ornatu; sed deos interpretatione Romana Castorem Pollucemque memorant.* Hist. III, 55: *his tributa dimittere, alios immunitatibus juvare, denique nulla in posterum cura lacerare imperium sed vulgus ad magnitudinem beneficiorum hiabat.* Quocum usu cohaeret is, ex quo sibi opponuntur sententiae, quarum altera indicat rem ut revera se habet, altera speciem quandam vel obtentum: Hist. II, 71: *sed alias protulit causas.* IV, 4: *sed in Sarmatas expeditio fingebatur.* IV, 50: *sed Pisonis satellitem vocabat* cet. I, 81: *cum timeret Otho timebatur. sed haud secus discrimine senatus quam suo territus est.* III, 8: *incruentam et sine luctu victoriam et alia hujuscemodi praetexendo, sed gloriae avidus, atque omne belli decus sibi retinens.* Ann. XV, 71: *pellitur et Rufrius Crispinus occasione conjurationis, sed Neroni invisus.* Simile quid indicatum habes: Hist. I, 66: *sed fama constans fuit.* — Etiam singula vocabula plurifarie sibi per *sed* opponuntur, ita ut mutare non ausim, quamvis saepius sit *et* [2]. Hist. IV, 20: *ignava sed procax ante periculum manus.* 79: *modica et crebra damna.* Ann. I, 13 variant *sed* atque *et: Lepidum capacem* s e d

---

1) Frequentissimum illud *nisi quod* saepe in significationem particulae adversativae et coercentis abiisse, pluribus hominibus doctis observatum est. cf. Roth, exc. ad Agr. pag. 255 seq.: Kritz, Germ. 9. Wex, prolegg. pag. 121 seq.

2) Cf. Hist. IV, 33: *caesorum eo die in partibus nostris major numerus et inbellior, Germanis ipsa robora. vid.* cap. I, §. 1, 2.

aspernantem, Gallum Asinium avidum et minorem, unde patet, Tacito has particulas sine magna significationis diversitate usurpatas esse, quippe cum hoc loco soli rhetoricae indulserit. Etiam Hist. IV, 14 *jussu Vitellii Batavorum juventus ad dilectum vocabatur, quem suapte natura gravem onerabant ministri avaritia ac luxu, senes aut invalidos conquirendo, quos pretio dimitterent: rursus impubes sed forma conspicui — ad stuprum trahebantur*, in vocula *sed* non offendamus [1]), nam inter invalidos quoque *impubes* esse poterant. Certa lex deduci non potest; accedit quod codicibus hac in re continua fides non habenda est, facillimeque *sed* atque *et* confundi poterant. Ann. XIII, 22 jam Heinsius conjecit: *sed variis mox artibus elusus;* nunc id ipsum Mediceus praebere videtur. Ann. IV, 63 arridet Berveldi conjectura: *confusior facies et par forma* cui Heraeus quoque assentitur: at necessariam eam esse vix probetur. — Transitur per *sed* ad nova, qui est usus vulgarissimus: Germ. 45: *sed et mare scrutantur.* Hist. I, 48: *sed Vinius Galliam Narbonensem severe integreque rexit.* Hist. II, 1: *sed vulgus fingendi avidum disperserat accitum in adoptionem.* Sed hanc rationem ab ea, quae coerceat, saepenumero distingui vix posse, palam est. — Gradationi inservit: Hist. I, 85: *sed plurimum trepidationis in publico.* I, 52: *sed profusa cupidine et insigni temeritate legati legionum.* IV, 74: *sed nobis maximum discrimen, penes quos aurum et opes, praecipuae bellorum caussae.* — Jam ad usum venimus, ex quo per particulam *sed* ad rem reducimur, si digressione vel alio modo filum orationis intercisum est, quemque apte *reciprocum* vocemus: Hist. III, 51: *sed haec aliaque ex vetere memoria petita — haud absurde memorabimus.* Agr. 30: *sed nulla jam ultra gens*, ubi plura dat Wexius, quibus addas Ann. I, 31: *sed quibus Silius moderabatur* etc. Omnino sic usurpatur *sed*, si deflectitur oratio ab iis quae obiter tantum et per occasionem memorata sunt, ut in prooemiis cf. Ann. I, 1: *sed veteris populi Romani prospera vel adversa claris scriptoribus memorata sunt.* Quare inesse potest significatio: ut haec missa faciamus: Ann. III, 63: *sed cultus numinum utrisque Dianam aut Apollinem venerandi.* Deinde ex usu illo reciproco explican-

1) Halmius edidit *et*.

tur hi loci; Hist. I, 9: *quies et Illyrico, quamquam excitae a Nerone legiones, dum in Italia cunctantur, Verginium legationibus adissent. sed longis spatiis discreti exercitus* cet. Ann. I, 3: *Germanicum Druso ortum — adsciri per adoptionem a Tiberio jussit, quamquam esset in domo Tiberii filius juvenis, sed quo pluribus munimentis insisteret*. Hist. I, 4: *finis Neronis — varios motus animorum non modo in urbe apud patres aut populum aut urbanum militem, sed omnes legiones ducesque conciverat, evulgato imperii arcano, posse principem alibi quam Romae fieri. sed patres laeti, usurpata statim libertate licentius ut erga principem novum et absentem,* quo loco particula *sed* respicit patres antea jam nominatos, a quibus processerat scriptor ad alia memoranda. Ante omnes vero memorabilis est locus Hist. II, 77: *sed meliorem in bello causam quam in pace habemus; nam qui deliberant, desciverunt,* quae sententia spectat ad exordium orationes Muciani (cap. 76), atque argumentum a quo incepit orator, in clausulae modum repetit. —

Potest autem *sed* instituere quoque digressionem, ut Hist. V, 2: *sed quoniam famosae urbis supremum diem tradituri sumus, congruens videtur primordia ejus aperire.* —

Veniamus ad usum coercentem, qui quamquam particulis copulativis item compressus atque temperatus est, tamen respondet quodammodo Taciti consuetudini dicendi, quo videtur factum esse, ut pro ratione creberrime sic inveniantur particulae adversativae. Ut enim particula copulativa notionem generalem et infinitam ad id quod agatur habilem reddit, justeque ad rem definit, *sed* de natura ac vi notionis, quae certa ac distincta cogitatur, aliquid detrahit. Quum autem saepenumero primo aspectu non cognoscamus, quam late patere notionem quandam voluerit scriptor, fit ut ea demum parte, qua deminuitur, intelligamus, qualis proprie in animo scriptoris fuerit. Id vero facultatem praebet ostendendi brevitatem orationis, eaque fuit caussa, cur Tacito placuerit hic usus. Res ipsa nota est, sufficiant igitur pauca exempla. Germ. 34: *nec defuit audentia Druso, Germanico, sed obstitit Oceanus.* 38: *ea cura formae sed innoxiae.* Hist. II, 3: *hostiae, ut quisque fovit, sed mares deliguntur.* Hist. III, 12: *sed exsoluta statim vincula* cet., quo loco si *et* positum esset, id solum indicaretur, alteram rem post alteram

factam esse. Nec aliter se habet locus Hist. III, 69: *modicum ibi proelium improviso tumultu, sed prosperum Vitellianis fuit;* nam involuta est priori sententiae cogitatio, potuisse proelium habere eventum Vitellianis improsperum, ea quae insequenti sententia tollitur. Verum intelligitur, difficillimum esse, vel omnino fieri non posse, ut de legibus quas hac in re secutus sit Tacitus ad firmum judicium perveniamus. — Interdum vincula sensuum tam arcte ac severe constringuntur, ut quomodo cohaereant, nisi interpositâ cogitando sententiâ sentiri non possit. Quod et ipsi junctura vocabulorum, quae est: *sed enim* solent denotare Romani, verum Tacitus semper nudo *sed* contentus est. Hist. I, 15: *sed Augustus* cet. h. e. *sed* [ex parte quadam diversa est haec mea adoptio ab Augusti nam] *Augustus* cet. 49: *sed claritas* cet. h. e, *sed* [haec aliter accipiebantur, nam] *claritas* cet. Ann. XVI, 7: *neque in longum dilatum est; sed Silanus additur* cet. — Ut aliquoties attributo cuidam aliam sententiam attributivam et relativam per particulam *et* adjungi supra vidimus, sic etiam enuntiatum relativum quod coercet per *sed* apponitur. ann. XIII, 25: *Julius Montanus senatorii ordinis, sed qui nondum honorem capessisset.* Ann. XI, 38: *honesta quidem, sed ex quis deterrima orerentur* [1]. — Si conjuncta inveniuntur *sed* atque *et* (etiam) fieri potest, ut vi enuntiati antecedentis reapse coercita sensus in universum dilatetur. Germ. 8: *vidimus sub divo Vespasiano Veledam, diu apud plerosque numinis loco habitam; sed et olim Albrunam et compluris alias venerati sunt.* Cf. 12, 22. — Sed multifarie dignosci vix posse, utrum coerceat *sed* vel tantum opponat, supra jam monuimus cf. Germ. 45. Hist. II, 91. —

Restat substitutio, qua fusius explananda supersedere possum, quia est vulgarissima. Accedit quod de usu particularum *non modo — sed etiam* antea jam disputatum est. Id solum monuerim, interdum membrum quod substituatur, minus valere, ita ut habeat *sed* fere vim vocularum: sed tantum (sondern nur): Ann. XII, 4: *non incestum sed incustoditum amorem.*

Deinde in ea quoque re cernitur brevitas Tacitina, quod

1) Cf. de hoc usu apud Plin. maj. quae disputavit Mayhoff in libello gratulatorio ad F. Haaseum pag. 35. Vratisl. 1863.

haud raro scriptor sententiam substituendam prorsus intermittit, atque per *sed* transit ad nova proferenda, sed quae proprie sine illa substituenda sententia cogitari nequeant. Sic Ann. XV, 28: *et viso Corbulone rex prior equo desiluit; nec cunctatus Corbulo, sed pedes uterque dexteras miscuere.* XV, 11: *Vologeses — nihil mutato consilio, sed vi ac minis alares exterruit.* —

Claudat agmen adnotatio, aliquando *sed* in anaphora exstare, cujus rei tria exempla affert Weinkauffius[1]; tamen duo tantum recte habent, intelligo Ann. I, 10 et 38, quorum utroque loco tenemus orationem indirectam. —

9. *Tamen* solam coercitionem designat, et fortissimam illam ac violentissimam. Cum particulis *at* et *sed* raro se consociat[2], cum *verum* numquam. Sedem suam utique capit post primum sententiae vocabulum[3]; gravitatis caussa interdum etiam post secundum; ac tamen plerumque tantum in certis juncturis, sicut Germ. 24: *non in quaestum tamen.* Ann. I, 9: *non regno tamen.* IV, 74: *non illi tamen* vel: Germ. 45: *ut fratres tamen.* At raro primum locum obtinet, ut Hist. I, 8: *Fontejum Capitionem occisum etiam qui queri non poterant, tamen indignabantur,* quo loco major gravitas ne existit quidem. Jure autem initio sententiae positum est Ann. I, 42: *tamen mirum et indignum erat,* quum ellipsin denotet; etiam Ann. XV, 36 praecedente *quamquam: quamquam confideret virtuti, tamen exhortationes* cet., licet constanter sic non loquatur Tacitus, vid. Germ. 14: *nam epulae et quamquam incompti largi tamen apparatus.* —

In argenteae quae vocatur latinitatis aetate quum omnia acuerentur et intenderentur, percrebuit mos, quod ponebatur *tamen*, ubi sufficiebat *sed.* Qua in re ut imprimis Plinius minor frequens sit, tamen Tacitus quoque aetate sua non superior est: Germ. 24: *exercitatio artem paravit, ars decorem non in quaestum tamen aut mercedem,* et contra: 38: *ea cura formae sed innoxiae.* Ann. XIV, 10: *quia tamen non ut hominum vultus ita locorum facies mutatur* cet.[4]) Ann. XIII, 51: *manet tamen abolitio quadra-*

---

1) De dialogo dissert. I. pag. 31.

2) Cf. supra, et ann. XV, 71.

3) Sed ut par est, praepositionem a verbo suo non dirimit.

4) Est rhetoricum quoddam. Cf. Ovid. am. III, 2, 2. III, 9, 59.

gesimae quinquagesimaeque. 53: *ne tamen segnem militem attinerent.* Cum *ne* creberrime conjungitur. Cf. Hist. I, 16. III, 77.

Vix opus est ut dicamus de locis, ubi totam suam vim ostendit, neque de usu, ex quo vocabula: *quamquam, etsi, quidem* sequitur, neque de ratione a Cicerone quoque adamata, quod omittitur particula concessiva ut Hist. III, 45: *variis praeliis exemere tamen periculo reginam* vel: Ann. XII, 42: *transfertur regimen cohortium ad Burrum Afranium egregiae militaris famae, gnarum tamen cujus sponte praeficeretur.* Satis est cognosse, omnino talia apud Tacitum inveniri.

Solere cum una particula *tamen* admodum frequentius conjungi *neque* vel *nec* jam cap. anteced. monui. Conferas Germ. 5. Hist. II, 16. 50. 83. III, 72. Ann. I, 13. II, 55. 66. cet.

Quod de *sed* vidimus: intelligi saepe coercente demum sententia, quomodo accipienda sit prior, id de *tamen* pari modo valet, atque extricari debet haud raro sensus interposito enuntiato a particula *quamquam* instituto. Germ. 45: *succinum tamen arborum esse intelligas* cet., h. e.: quamquam de natura et origine succini nihil a Germanis traditur[1]). Ann. I, 42: *nos ut nondum eosdem, ita ex illis ortos si Hispaniae Syriaeve miles aspernaretur, tamen mirum et indignum erat.* XII, 59: *Tarquitius tamen curia exactus est;* e particula *tamen* palam fit, senatum Statilium Taurum re vera damnasse. Similis est locus cap. 69: *testamentum tamen haud recitatum.* — Quin et sententia quae coercet plane reticetur, aliaque quae cum ea interiore nexu cohaeret attrahitur: Ann. I, 17: *non obtrectari a se urbanas excubias; sibi tamen apud horridas gentes e contuberniis hostem aspici.*

10. *Ceterum* denique proprie significat omitti rem, quae antea commemorata sit, et alteram ex sua parte considerari[2]). Vocabulum a Tacito valde adamatum, quo qui usus sit hisce generibus dignoscamus: a) traducit ad alia et nova. Quod genus quamquam multa eorum quae exim numeraturus sum, complectitur, tamen non pauci sunt loci, quibus revera accuratius

---

1) Cf. Kritzium ad h. l. —
2) Hand II, 35. —

quid non denotetur. Oppositio modo fortior modo levior est. Agr. 25. Hist. II, 94. III, 5. Ann. XIV, 42 al. Capita saepe ab hoc vocabulo incipiunt. — b) Concludit *ceterum* digressionem, et ad rerum ordinem reducit. Germ. 3: *ceterum et Ulixem quidam* cet: Hist. II, 21. III, 35. Vel dictum quoddam supra prolatum respicit; Ann. II, 34: *ceterum Urgulaniae potentia* cet. resp. verba: *Urgulania, quam supra leges amicitia Augustae extulerat.* Vel exstat post brevem nexus intercapedinem: Hist. II, 26. III, 43. Denique si incipit digressio: Hist. III, 51. — c) Singula mittit, et ad universum spectat: Germ 9: *ceterum nec cohiberi* cet. 43: *omnesque hi populi pauca campestrium, ceterum saltus et vertices montium jugumque insederunt.* Vel ab iis quae minoris momenti sunt, ad graviora procedit: Hist. IV, 61. Prooemium concludit: Ann. I, 3. Hist. I, 4. Certa incertis opponit: Agr. 43. Hist. I, 7. — d) Vera affert adversus speciem falsam, vel vice versa: Ann. I, 10. 14. 44[1]). Hist. II, 56. — Hist. IV, 73. Ann. XII, 65. Cognatus est usus Hist. III, 8. — e) Valet: *praeterea*: Germ. 7. Ann. XIII, 31. — f) Coercet.: Ann. II, 38. XIV, 49.

---

1) Cf. Nipp. ad h. l.

CONSPECTUS LOCORUM.

Quos asterisco notavi, eos ipse emendare studui; ceteros explicavi alio modo atque hucusque factum est.

CORRIGENDA.

(Quum a loco, ubi hic libellus typis expressus est, longe remotus essem contextus verborum haud paucis typographi mendis infectus est. Quod quaeso aequi bonique faciat lector benevolus).

Pag. 1. v. 5. lege *quodque.*
" 7. " 9. " *concipitur.*
" 7. " 11. " *et aversi.*
" 9. " 25. " *vero.*
" 9. " 34. " *particulam.*
" 13. " 35. verba *postremum* — *reddit* non inclinatis litteris scribenda.
" 20. adn. 1. post verbum *praecipere* deest *me.*
" 24. v. 22. lege *adjungi.*
" 25. " 28. " *Beroaldo.* item pag. 103, v. 29. et. 152. v. 13.
" 28. " 19. " *fluitantem.*
" 30. " 14. " *singularum.*
" 32. " 18. post signum §. delendum: 1.
" 45. " 8. lege *spirantem.*
" 46. " 20. " *ex aequo.*
" 47. " 21. " *luxum.*
" 48. " 2. " *Vicetiae.*
" 52. " 10. " *comprobetur.*
" 61. " 2. post verbum *coeptus* deest *a.*
" 63. " 1. lege *quidem.*
" 64. " 36. " *respondent.*
" 78. " 1. v. 2. lege *Lectii.*
" 81. " 1. lege *arduo.*
" 82. " 21. " *horae.*
" 83. " 35. " *quarum.*
" 84. " 30. " *Capitonem.*
" 87. " 7. post voculam *sic* delendum est punctum.
" 87. " 31. lege *eadem.*

Pag. 89. v. 20. lege *innisusque.*
„ 96. „ 4. „ *Hypaepeni.*
„ 99. „ 3. „ *membrorum.*
„ 100. „ 21. „ *miror.*
„ 101. „ 15. „ *peccet.*
„ 102. „ 18. „ *particulam.*
„ 103. „ 16. „ *iterum.*
„ 106. „ 32. delendum *eo.*
„ 108. „ 10. lege *ignaram.*
„ 108. „ 29. „ *quidem.*
„ 112. „ 1. „ *id* pro *vel.*
„ 112. „ 6. „ *locum.*
„ 112. „ 21. post verbum *quaedam* deest *exstat.*
„ 113. „ 16. lege *vectus.*
„ 113. „ 27. „ post verbum *ferebantur* delendum est punctum.
„ 114. „ 34. „ post verbum *ea* deest *dicit*
„ 122. „ 24. lege *indiderant.*
„ 122. „ 27. ante voculam *ex* deest *et.*
„ 128. „ 20. lege: Hist. II, 70.
„ 123. „ 21. „ *inhumana.*
„ 125. „ 33. „ *factam.*
„ 126. „ 17. „ *pecunia.*
„ 127. „ 8. „ *raris.*
„ 129. „ 15. „ *questus.*
„ 130. „ 37. „ *quotcunque.*
„ 136. „ 31. „ *et* pro *ac.*
„ 142. adn. 1. v. 2. lege *hunc.*

